DE

DIONYSIO HALICARNASSEO

HISTORICO,

PRAECIPUO HISTORIAE JURIS ROMANI FONTE,

DISSERTATIO INAUGURALIS.

IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI PRAEMIO ORNATA.

SCRIPSIT

PHIL. FRID. SCHULIN,

MOENO-FRANCOFURTANUS,

JURIS UTRIUSQUE DOCTOR.

HEIDELBERGAE

TYPIS JOANNIS MICHAELIS GUTMANNI, UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

MDCCCXX.

LIBERAE REIPUBLICAE

MOENO-FRANCOFURTENSIS

PRAESIDI,

CONSULIBUS,

SCABINIS,

SENATORIBUS,

PATRIBUS PATRIAE,

VIRIS ILLUSTRISSIMIS, MAGNIFICIS,

EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

SUMMIS STUDIORUM MAECENATIBUS,

HOCCE SPECIMEN INAUGURALE

DEVOTA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Anno praeterito proposita in Academia Heidelbergensi ab Ill. Philosophorum Ordine quaestione:

> Utrum Dionysius Halicarnasseus in Archaeologia Romana condenda iis, quas ipse in libris criticis tulit, historiae scribendae legibus usquequaque satisfecerit nec ne.

haecce literis mandavi; ei, qui jurisprudentiae vacaret, Dionysium, insignem antiquitatum Romanarum fontem, haudquaquam negligendum esse ratus. Cumque nuper in eadem Ruperto-Carolina summos in utroque jure honores, pro recepto in Patria

more, ambirem, Ill. Jureconsultorum Ordini, quoniam illa de Dionysio commentatio ad juris historiam pertinere videretur, ut pro inaugurali specimine eam acciperet, placuit. Ubi tamen, quae de dicendi genere, quo Dionysius usus sit, disputaveram, omittenda censui.

CAP. III.

De Oeconomia Historiae Dionysianae.

De ordine, quem Dionysius in scribenda historia sequutus sit, fusius me exponere haud necessarium videtur. Ea quippe est antiquioris Romanae historiae ratio, ut secundum annorum ordinem eam narrari optime conveniat. Quare etiam Livius aliique fastorum ordinem sequuti sunt. Dionysium quidem hac in re suam ipsius legem haud servasse apparet.

more, ambirem, Ill. Jureconsultorum Ordini, quoniam illa de Dionysio commentatio ad juris historiam pertinere videretur, ut pro inaugurali specimine eam acciperet, placuit. Ubi tamen, quae de dicendi genere, quo Dionysius usus sit, disputaveram, omittenda censui.

CAP. III.

De Oeconomia Historiae Dionysianae.

De ordine, quem Dionysius in scribenda historia sequutus sit, fusius me exponere haud necessarium videtur. Ea quippe est antiquioris Romanae historiae ratio, ut secundum annorum ordinem eam narrari optime conveniat. Quare etiam Livius aliique fastorum ordinem sequuti sunt. Dionysium quidem hac in re suam ipsius legem haud servasse apparet.

DE DIONYSIO, DEQUE IIS, QUI ANTE EUM HISTORIAM APUD GRAECOS SCRIPSERE, PROLUSIO.

Tempore Augusti vixit Dionysius Halicarnasseus. Venit in Italiam sub finem belli civilis, Romaeque per annos XXII. versatus est. Scripsit antiquitatum Romanarum (Ῥωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας) libros XX, e quibus, praeter fragmenta nonnulla, undecim tantum priores aetatem tulerunt. Multa etiam critica et rhetorica opera composuit, eaque vel maxime lectu digna omnique eruditionis genere abundantia. Quo pertinent:

Liber de compositione verborum,
Ars rhetorica,
Judicium de veteribus scriptoribus,
Commentarii de oratoribus antiquis,
Epistolae ad Ammaeum duae, altera de Demosthene et Aristotele, altera de iis, quae Thucydidi propria sunt,

Epistola ad Cn. Pompejum de Platone, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Philisto, Tleopompo,

Judicium de Thucydidis historia,

Liber de admiranda vi dicendi, quae fuit in Demosthene.

Alia ejusdem scripta critica et rhetorica temporis injuria interiere.

Cf. Fabricii biblioth. Graec. Lib. III. c. 31. Harlesii introduct. in historiam linguae Graecae. Tom. I. (Altenburg. 1792. ed. II.) p. 585. sqq.

Ipse Dionysius historiae suae epitomen confecit; quam nuper A. Majus V. D. in bibliotheca Ambrosiana invenit (Editio princeps prodiit Mediolani, regiis typis, MDCCCXVI). Cujus haec sunt verba:

(dissertat. praev. cap. 11.)

„Ecce autem ipsius Dionysii epitome, a Romanae gentis primordiis usque ad primum cum Poenis susceptum bellum, in duobus bibliothecae Ambrosianae exemplaribus (H. 80. Q. 13. part. sup.) tandem aliquando deprehensa est. Jam uterque codex chartaceus est, et alter quidem (Q) saeculo XIV., alter (A.) XV., ut conjicio, exaratus. Porro duplex exemplar cum ad mutuam collationem mirifice mihi profuit, tum eo praecipue nomine gratum accidit, quod codicis recentioris nonnullae in medio lacunae, et defectus aliquantus in calce, ab antiquiore percommode interdum sarciuntur. Fuit autem epitome ab ipso Dionysio in volumina quinque distributa" etc.

Multa tamen contra epitomes naturam in ea fusius narrata, adeoque ex majore illo Dionysii opere, ni fallor, recentiori manu in eam translata videntur. Epitome haec Dionysianae historiae denuo prodiit Francofurti ad Moenum, in libraria Hermanniana, 1817.

Jam de arte historica in universum egit Creuzer V. Cel.

Die historische Kunst der Griechen. (Lips. 1803.) p. 226 — 240.

Idem V. D. peculiari libro exposuit de Herodoto et Thucydide: Herodot und Thucydides. Versuch einer Würdigung einiger ihrer historischen Grundsätze, mit Rücksicht auf Lucians Schrift: wie man Geschichte schreiben müsse. (Lips. 1798).

(Cf. praecipue pag. 48, 49, 65, 128. hujus libri)

neque non de Xenophonte in libro, qui inscriptus est:

De Xenophonte historico disserit simulque historiae scribendae rationem, quam inde ab Herodoto et Thucydide scriptores Graeci sequuti sunt, illustrare studet Georg. Frider. Creuzer. Partic. I. (Lips. 1799.)

(Cf. imprimis pag. V. VI. pag. 32. not. a. pag. 62. seqq. not. a. pag. 91. seqq. not. c. ejus libri.)

Prae omnibus vero aliis hoc loco laudandus est J. Gerh. Vossii liber de historicis Graecis.

De iis, qui primi apud Graecos soluta oratione res gestas scripserunt, hoc exstat Dionysii nostri judicium in Jud. de Thucyd. hist. cap. 5. Tom. VI pag. 818. sq *).

„Ἀρχαῖοι μὲν οὖν συγγραφεῖς πολλοὶ καὶ κατὰ πολλοὺς τόπους ἐγένοντο πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου· ἐν οἷς ἐστιν Εὐγέων τε ὁ Σάμιος, καὶ Δηΐοχος ὁ Προικοννήσιος, καὶ Εὔδημος ὁ Πάριος, καὶ Δημοκλῆς ὁ Φυγελεὺς, καὶ Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ὅ τε Ἀργεῖος Ἀκουσίλαος, καὶ ὁ Λαμψακηνὸς Χάρων, καὶ ὁ Χαλκηδόνιος Ἀμελησαγόρας. ὀλίγῳ δὲ πρεσβύτεροι τῶν Πελοποννησιακῶν καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, Ἑλλάνικός τε

*) Reiskianam editionem sequor in excitandis Dionysii locis.

ὁ Λέσβιος, καὶ Δαμάστης ὁ Σιγεὺς, καὶ Ξενομήδης ὁ Χῖος, καὶ Ξάνθος ὁ λυδὸς, καὶ ἄλλοι συχνοί. οὗτοι προαιρέσει τε ὁμοίᾳ ἐχρήσαντο περὶ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὑποθέσεων· καὶ δυνάμεις οὐ πολύ τι διαφερούσας ἔσχον ἀλλήλων. οἱ μὲν, τὰς Ἑλληνικὰς ἀναγράφοντες ἱστορίας· οἱ δὲ, τὰς βαρβαρικάς· καὶ αὐτὰς δὲ ταύτας οὐ συνάπτοντες ἀλλήλαις, ἀλλὰ κατ' ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις διαιροῦντες, καὶ χωρὶς ἀλλήλων ἐκφέροντες, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπὸν, ὅσαι διεσώζοντο παρὰ τοῖς ἐπιχωρίοις μνῆμαι κατὰ ἔθνη τε καὶ κατὰ πόλεις, εἴτ' ἐν ἱεροῖς, εἴτ' ἐν βεβήλοις ἀποκείμεναι γραφαὶ, ταύτας εἰς τὴν κοινὴν ἁπάντων γνῶσιν ἐξενεγκεῖν, οἵας παρέλαβον· μήτε προστιθέντες αὐταῖς τι, μήτ' ἀφαιροῦντες· ἐν αἷς καὶ μῦθοί τινες ἐνῆσαν, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ πεπιστευμένοι χρόνου, καὶ θεατρικαί τινες περιπέτειαι, πολὺ τὸ ἠλίθιον ἔχειν τοῖς νῦν δοκοῦσαι. κ. τ. ἑ."

coll. ibid. cap. 23. p. 864.

Cf. Creuzer, die hist. Kunst der Griechen, pag. 32. sqq. pag. 63. sqq.

Idem V. D. in Historicorum Graecorum antiquorum fragmentis. (qui liber prodiit Heidelbergae 1806.)

Heyn. V. Cel. Excurs. I. ad Aeneid. l. II.

Voss. Art. hist. cap. 6.

Voss. de historicis Graecis. init.

Huc etiam pertinet doctissima de vetustioribus Graecis scriptoribus commentatio, quae exstat in Museo Critico Cantabrig. Vol. I. (1814.), in qua de Cadmo, Eugeone, Deiocho, Eudemo, Democle, Hecataeo, Acusilao, Charonte, Amelesagora exponitur.

Dionysium Milesium Noster silentio praeteriit; fortasse eum nomini suo parum decoris attulisse putavit.

Cf. Creuzer, die hist. Kunst der Griechen, pag. 131. not. 31.

Creuzer ibid. pag. 78. sqq. imprimis Hellanici Lesbii exemplo probat, autores illos peculiaribus libris de singulis urbibus populisque exponere solitos esse.

Cf. Dionys. Jud. de Thuc. hist. c. 5. p. 819. c. 9.

Λογογράφους Creuzer vocat, qui l. l. pag. 173 — 181. not. verborum μῦθος, λόγος, φάτις, αἶνος, κληδὼν, ἱστορεῖν, ἱστορία, λογοποιὸς, συγγραφὴ, λογογράφος significationem explicavit.

Qui post Herodotum et Thucydidem apud Graecos rebus gestis scribendis incubuere, aut, ut Xenophon, secundum Herodoti exemplum, in historia scribenda id fere primum esse censuerunt, ut ea ad patriae laudes augendas atque amplificandas dirigeretur, aut, Thucydidem sequuti, historiam pro optima institutione atque praeparatione ad gerendas res publicas proque unica fortiter ferendae adversae fortunae magistra habuerunt; quo in genere etiam Polybius fuit, licet minime negaverim, magnum inter Polybium et Thucydidem discrimen obtinere. Quo Dionysius vixit tempore, Graeci sub Romanorum dominatu afflicti jacebant, neque ulla libertatis recuperandae spes supererat, nisi tandem aliquando sua ipsorum virtute jugum dejecturi essent. Prisca jam Graecae gentis gloria ad libertatis amorem patriaeque ab hostibus liberandae spem accendi illos necesse erat; neque mirum igitur, Dionysium vel hanc ob causam in Herodotum, civem suum, quam in Thucydidem, fuisse propensiorem; quorum alter clarissimam victoriam de Persis relatam, alter civilia Graecorum bella tristemque Graecae gentis statum descripserat.

Fuit itaque Dionysius acerbus Thucydidis censor, ab omni tamen iniquitate et invidia remotissimus.

Cf. De Thuc. hist. jud. c. 2 — 4. c. 25. init. coll. c. 27. 28. 52.

Omnino vero, secundum Fabricii atque Harlesii conjecturam, libros criticos ante Antiquitates composuit, junior aetate et ferventior.

Jamque ea instituti nostri est ratio, ut videamus, quomodo ipse in historia Romana condenda eas, quas in judicio de aliis scriptoribus, atque imprimis de Thucydide, tulit, historiae scribendae leges observaverit.

SECTIO I.

PROPONUNTUR LEGES HISTORIAE SCRIBENDAE, QUAS DIONYSIUS IN LIBRIS CRITICIS TULIT.

CAP. I.

De Fide historica.

Fidei Dionysius historiam sacram esse pronunciat,
De Thuc. hist. Jud. c. 8. p. 824.
coll. c. 2. p. 812. v. 10, 11.
Epist. I. ad Ammaeum. c. 2. p. 722. v. 6, 7.
Epist. ad Cn. Pompej. c. 1. p. 752. v. 1.
Antiquitat. Rom. I. e. 1. p. 2. c. 6. p. 19.
neque minus tamen amplificandae patriae gloriae.
Cf. Creuzer l. l. pag. 206, 219.
Voss Art. histor. cap. 5, 9, 11, 18.
Ipse in Epist. ad Cn. Pompej. c. 6. p, 783. haec de Theopompo praedicat:

„μάλιστα δὲ τῆς ἐπιμελείας τε καὶ φιλυπονίας τῆς κατὰ τὴν συγγραφήν. (scil. ἄξιος ἐπαινεῖσθαι.) δῆλος γάρ ἐστιν, εἰ

καὶ μηδὲν ἔγραψε, πλείστην μὲν παρασκευὴν εἰς ταῦτα παρεσκευασμένος, μεγίστας δὲ δαπάνας εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν τετελεκώς. καὶ πρὸς τούτοις πολλῶν μὲν αὐτόπτης γεγενημένος, πολλοῖς δ' εἰς ὁμιλίαν ἐλθὼν ἀνδράσι τοῖς τότε πρωτεύουσι καὶ στρατηγοῖς δημαγωγοῖς τε καὶ φιλοσόφοις τὴν συγγραφὴν τῆς ἱστορίας ἐποιήσατο· (cf. Sylb. ad h. l. not. l.) ἔργον δὲ τὸ πάντων ἀναγκαιότερον. κ. τ. ἑ."

Idem in Jud. de Thuc. hist. c. 6. p. 821, 822. de Thucydide haec habet:

„— — ἐῤῥωμένος τε τὸ σῶμα καὶ τὴν διάνοιαν ὑγιαίνων, καὶ μέχρι παντὸς αὐτοῦ (belli Peloponnésiaci) βιώσας· καὶ οὐκ ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὰς πράξεις συντιθείς· ἀλλ' οἷς μὲν αὐτὸς παρῆν, ἐξ ἐμπειρίας· ὧν δ' ἀπελείφθη διὰ τὴν φυγὴν, παρὰ τῶν ἄριστα γιγνωσκόντων πυνθανόμενος."

Thucydidem Dionysius, l. eod., nihil fabulosi libris suis immiscuisse, μηδ' εἰς απατην και γοητειαν των πολλων εκτρεψαι την γραφην, dicit.

„Μαρτυρεῖται δὲ τῷ ἀνδρὶ (l. l. cap. 8.) τάχα μὲν ὑπὸ πάντων φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων, εἰ δὲ μὴ, τῶν γε πλείστων, ὅτι καὶ τῆς ἀληθείας, ἧς ἱερὰν εἶναι τὴν ἱστορίαν βουλόμεθα, πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν· οὔτε προστιθεὶς τοῖς πράγμασιν οὐδὲν, ὃ μὴ δίκαιον, οὐδὲ ἀφαιρῶν, οὐδὲ ἐνεξουσιάζων τῇ γραφῇ· ἀνέγκλητον δὲ καὶ καθαρὰν τὴν προαίρεσιν ἀπὸ παντὸς φθόνου καὶ πάσης κολακείας φυλάττων, μάλιστα δ' ἐν ταῖς περὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν γνώμαις. κ. τ. λ. — — — κράτιστον δὲ πάντων, τὸ μηδὲν ἑκουσίως ψεύδεσθαι, μηδὲ μιαίνειν τὴν αὐτοῦ συνείδησιν."

Praeclarum hoc est de Thucydidis fide historica testimonium,

tantoque pluris faciendum, quanto minus caeterum Dionysius eum in deliciis habuit.

Cf. Creuzer l. l. pag. 266.

Voss. Art. hist. cap. 9.

Optime Noster hanc legem statuit, ut nemo praejudicata opinione captus ad historiam scribendam accedat. Qua de re ipsius haec sunt verba in Epist. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 774, 775.:

„Μιᾶς δ' ἰδέας ἐπιμνησθήσομαι πραγματικῆς, ἣν οὐδεμιᾶς τῶν εἰρημένων ἧττον ἐν ἁπάσαις ἱστορίαις ζητοῦμεν, τὴν αὐτοῦ τοῦ συγγραφέως διάθεσιν, ᾗ κέχρηται πρὸς τὰ πράγματα, περὶ ὧν γράφει. ἡ μὲν Ἡροδότου διάθεσις ἐν ἅπασιν ἐπιεικὴς, καὶ τοῖς μὲν ἀγαθοῖς συνηδομένη, τοῖς δὲ κακοῖς συναλγοῦσα· ἡ δὲ Θουκυδίδου διάθεσις αὐθέκαστός τις καὶ πικρὰ, καὶ τῇ πατρίδι τῆς φυγῆς μνησικακοῦσα. τὰ μὲν γὰρ ἁμαρτήματα ἐπεξέρχεται καὶ μάλα ἀκριβῶς, τῶν δὲ κατὰ νοῦν κεχωρηκότων καθάπαξ οὐ μέμνηται, ἢ ὥσπερ ἠναγκασμένως κ. τ. λ."

Gravis profecto criminatio, nec satis congruens iis, quae Dionysius alio loco, ut modo diximus, de praeclara Thucydidis fide historica asseverat.

Xenophontem e contrario hanc in partem summis laudibus extulit Dionysius in Epist. ad Cn. Pompej. c. 4. p. 778.:

„ἦθός τ' ἐπιδείκνυται θεοσεβὲς, καὶ δίκαιον, καὶ καρτερικὸν, καὶ εὐπετὲς, ἁπάσαις τε συλλήβδην κεκοσμημένον ἀρεταῖς."

Quamquam Xenophontem potiori jure, quam Thucydidem, nimii in Lacedaemonios studii damnari, inter omnes constat.

Cf. Creuzer l. l. pag. 292.

Voss. Art. histor. cap. 18.

Philistum Dionysius in Epist. ad Cn. Pomp. c. 5. p. 780. notat ut adulatorem tyrannorumque studiosum.

CAPUT II.

De delectu historico.

§. 1.

Jam Dionysius
Epist. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 767 — 769.
Jud. de Thuc. hist. c. 5 — 7.
„prae caeteris," inquit, „id necessarium est historiarum scriptori, ut materiam scribendi sibi sumat pulchram et jucundam; quod multo melius Herodotus, quam Thucydides, assecutus esse videtur. Quippe ille opere suo universas Graecorum barbarorumque res gestas complexus est; hic unum tantum idque intestinum atque civile Graecorum bellum, quod vel nunquam gerendum, vel oblivioni penitus tradendum fuit. Neque necessitate coactus Thucydides hanc materiam elegit, ne, caeteris omnibus jam ab aliis autoribus elaboratis, ipse iis describendis operam luderet. Contra in prooemio res sua aetate gestas multo pulchriores atque admiratione digniores esse contendit, quam antiquas, de quibus vel detrahere conatur; unde eum hoc argumentum solummodo ob illius pulchritudinem atque magnificentiam elegisse apparet. Praeterea etiam ante Herodotum multi de eodem argumento, quod is elaboravit, scripserant, eamque

summam esse illius laudem constat, quod istos superaverit atque pulchrius quid eadem de re in medium attulerit."

Primus Herodotus universam rerum gestarum historiam describendam animo complexus est, remque arduam et difficilem ita perfecit, ut perenne sui nominis monomentum posteris reliquerit. Nec vero Thucydidi vitio dandum esse arbitror, quod minus jucundam materiam sibi tractandam elegerit. Qui multo sane lubentius florentis civitatis suae, quam cadentis, tempora descripsisset, priscaque illa mente repetendo a conspectu praesentium malorum animum avertisset. Sed vidit ille, etiam ex suis tristissimis temporibus magnam utilitatem cives suos omnesque homines capturos, neminemque praeter se esse, qui ea describere tum posset, tum vellet, tantoque amplioribus laudibus prosequendus est, quanto generosius sua studia seque ipsum patriae atque universi generis humani utilitati devovisse existimandus est. Quae etiam Taciti summa laus. Id quidem certum, poëticum illud, quo Herodotus excellit, apud Thucydidem minus in argumenti electione atque dispositione, quam in singularum ejus partium elaboratione cerni.

Cf. Creuzer l. l. pag. 270 — 272. 283 sqq. 223.

Niebuhr. Röm. Geschichte. (Berol. 1812.) tom. II. pag. 1.

Philistum Dionysius in Epist. ad Cn. Pompej. c. 5. p. 780. reprehendit, quod etiam hac in re Thucydidem potius, quam Herodotum, sequutus sit.

„οὔτε γὰρ ὑπόθεσιν εἴληφε πολυωφελῆ (cf. Sylb. ad hanc voc. not. d.) καὶ κοινὴν, ὥσπερ Θουκυδίδης, ἀλλὰ μίαν καὶ ταύτην τοπικήν."

Theopompus secundum Dionysium

Epist. ad Cn. Pompej. c. 6. p. 782, 783.

„ἄξιος ἐπαινεῖσθαι, πρῶτον μὲν τῆς ὑποθέσεως τῶν ἱστοριῶν· καλαὶ γὰρ ἀμφότεραι· ἡ μὲν τὰ λοιπὰ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου περιέχουσα, ἡ δὲ τὰ Φιλίππῳ πεπραγμένα κ. τ. ἑ.“

At vero Athenis eversis alter ex duobus Graeciae oculis erutus est; Philippus Macedo Graecorum libertatem subvertit.

Xenophontem Dionysius

Epist. ad Cn. Pompej. c. 4. p. 777, 778.

materiam elegisse pulchram et magnificam viroque sapienti convenientem praedicat. Cyropaedia boni fortunatique regis imaginem exhiberi; Anabasin imprimis aptam esse ad Graeci nominis gloriam amplificandam; Hellenicis contineri Thrasybuli in patriam reditum Cononisque erga cives suos munificentiam. Iisdem tamen Xenophontis libris, ut historia Thucydidea, multa etiam, quae Graecis male cesserint iisque dedecori potius, quam honori fuerint, contineri, neminem fugiet.

§. 2.

„Deinde,“ ut ipsius Dionysii verbis utar,

Epist. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 769—771.

„historicus in id curam intendere debet, ut historiam justo loco incipiat atque finiat. Etiam hac in parte Thucydidem superavit Herodotus; quippe Herodotus principio sumto a primis injuriis, quas barbari Graecis fecerunt, usque ad justam debitamque poenam ab iis repetitam progressus est; Thucydides ab eo tempore, quo Graeci a prisca virtute degenerare coeperunt, initium sumsit, ac ne bellum quidem Peloponnesiacum, licet illi ab initio ad finem usque interfuisse se dicat, universum narravit; con-

tra auspicanda ab Atheniensium clarissimis facinoribus post bellum Persicum editis, producendaque erat historia ad patriam a Thrasybulo in libertatem restitutam usque. Imprimis initium historiae Thucydideae vituperandum est, quod scilicet Thucydides, cum duas belli Peloponnesiaci causas proposuisset, alteram veram, invidiosam Atheniensium potentiam, alteram fictam, res circa Epidamnum et Potidaeam gestas, minime in iis exponendis temporis ordinem sequutus est, sed primum de belli praetextu a rebus ad Epidamnum gestis desumto, deinde de incrementis Atheniensium exposuit."

„Ἐχρῆν δ' αὐτὸν,"

Jud. de Thuc. hist. c. 11.

„ἀρξάμενον τὰς αἰτίας τοῦ πολέμου ζητεῖν, πρώτην ἀποδοῦναι τὴν ἀληθῆ καὶ ἑαυτῷ δοκοῦσαν· ἥ τε γὰρ φύσις ἀπήτει, τὰ πρότερα τῶν ὑστέρων ἄρχειν, καὶ τἀληθῆ πρὸ τῶν ψευδῶν λέγεσθαι· ἥ τε τῆς διηγήσεως εἰςβολὴ κρείττων ἂν ἐγένετο μακρῷ, τοιαύτης οἰκονομίας τυχοῦσα. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνό τις ἂν εἰπεῖν ἔχοι, τῶν ἀπολογεῖσθαι περὶ αὐτοῦ βουλομένων, ὅτι μικρὰ καὶ οὐκ ἄξια λόγου τὰ πράγματα ἦν, ἢ κοινὰ καὶ κατημαξευμένα τοῖς πρὸ αὐτοῦ, ὥστε μηδὲν δεῖν ἀπὸ τούτων ἀρχὴν ποιεῖσθαι· αὐτὸς γὰρ ὡς ἐκλειφθέντα τὸν τόπον τοῦτον ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ἄξιον ἱστορίας ὑπείληφεν, αὐταῖς λέξεσιν οὕτω γράφων· κ. τ. ἑ."

Equidem non video, quare necesse sit, priora semper posterioribus, vera falsis prius narrari. Omnino vero Thucydides veram belli Peloponnesiaci causam minime post fictam demum attigisse videtur, sed, quae de rebus ad Epidamnum et Potidaeam gestis ab eo referuntur, Atheniensium insolentiam atque importunitatem declarant, eoque modo verae belli, origini illustrandae vel maxime inserviunt.

Deinde, ut taceam, incertum esse, utrum Thucydides ad Thrasybuli reditum usque in vivis fuerit, an prius decesserit, id solum voluit, ut belli Peloponnesiaci descriptionem accuratissimam ac per partes explicatam posteris relinqueret; nec igitur necesse habuit, de prioribus vel posterioribus temporibus disserere. Quominus vero Peloponnesiaci belli historiam ad finem perduxerit, praematuram ipsius mortem in causa fuisse existimo; adeo nec octavo historiae suae libro supremam manum imposuisse videtur.

Cf. Jud. de Thuc. hist. c. 16.

In principio operis diserte asseverat, se per universum bellum res maxime memorandas in eo gestas in commentarios suos retulisse; quantumque igitur in ipso fuit, promissa praestitit.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 11.

Xenophontem Dionysius

Ep. ad Cn. Pompej. c. 4. p. 778.

collaudat, quod juxta Herodoti exemplum libros suos justo initio et fine comprehenderit. Tamen teneas velim, Cyropaediae initium nec minus finem rei ipsius ratione praescriptum fuisse; Anabaseos finem a multis ut parum apte institutum vituperari;

Cf. Creuzer l. l. pag. 297 — 299.

Hellenica denique proficisci a tristissimo belli Peloponnesiaci tempore, finiri Epaminondae morte, post quam, ut ipsius Xenophontis verbis utar, ἀκρισία δὲ καὶ ταραχὴ ἔτι πλείων ἐγένετο, ἢ πρόσθεν, ἐν τῇ Ἑλλάδι.

§. 3.

Sedulo etiam expendendum est historico, quid referre, quid silentio praeterire conveniat.

Dion. Ep ad Cn. Pompej. c. 3. p. 771, 772.

„Δοκεῖ δή μοι κἀν τούτῳ λείπεσθαι Θουκυδίδης· συνειδὼς γὰρ Ἡρόδοτος, ὅτι πᾶσα μῆκος ἔχουσα ἀπὸ λόγου διήγησις, ἂν μὲν ἀναπαύσεις τινὰς λαμβάνῃ, τὰς ψυχὰς τῶν ἀκροωμένων ἡδέως διατίθησιν· ἐὰν δ' ἐπὶ τῶν αὐτῶν μένῃ πραγμάτων, κἂν τὰ μάλιστα ἐπιτυγχάνηται, λυπεῖ τὴν ἀκοὴν τῷ κόρῳ· ποικίλην ἐβουλήθη ποιῆσαι τὴν γραφὴν, Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος. καὶ γὰρ τὸ βιβλίον ἢν αὐτοῦ λάβωμεν, μέχρι τῆς ἐσχάτης συλλαβῆς ἀγάμεθα, καὶ ἀεὶ τὸ πλεῖον ἐπιζητοῦμεν. Θουκυδίδης δὲ πόλεμον ἕνα καὶ τινας ἀπνευστὶ διεξέρχεται μάχας ἐπὶ μάχαις, καὶ παρασκευὰς ἐπὶ παρασκευαῖς, καὶ λόγους ἐπὶ λόγοις συντιθείς. κ. τ. ἑ."

Cf. De composit. verbor. c. 19. p. 133.

Voss. Art. hist. cap. 11.

Revera Herodotus in eo imprimis ad Poëtae similitudinem accessit, quod, ad Graecorum ingenium historiam dirigendo, id semper spectavit, ut voluptas etiam aliqua ex ejus lectione perciperetur. Quo pertinent episodia frequenter apud eum obvia.

Cf. Creuzer l. l. pag. 146 sqq. pag. 155. not.

Thucydidem Dionysius,

Epist. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 774.

odio in patriam propter exilium conjecto, suorum civium peccata accuratissime prosequutum, pracclara eorum facinora aut silentio praeteriisse, aut vix eorum mentionem fecisse criminatur.

„ὅτι δὲ καὶ περὶ τὰς] ἐξεργασίας τῶν κεφαλαίων ἧττον ἐπιμελής ἐστιν, ἢ πλείονας τοῦ δέοντος λόγους ἀποδιδοὺς τοῖς ἐλαττόνων δεομένοις, ἢ ῥαθυμότερον ἐπιτρέχων τὰ δεόμενα πλείονος ἐξεργασίας, πολλοῖς τεκμηρίοις βεβαιῶσαι δυνάμενος, ὀλίγοις χρήσομαι."

Jud. de Thuc. hist. c. 13. p. 839.

Proelia navalia inter Athenienses et Peloponnesios initio belli commissa a Thucydide copiosius exponi dicit, quod Atheniensium virtus minori cum splendore in iis eluxerit; gloriosissimam vero pugnam, qua Cimon apud Eurymedontem Persas devicerit, ab eodem vix commemorari.

Sed Thucydides solius belli Peloponnesiaci historiam scripsit, deque prioribus temporibus ea tantum referre necesse habuit, quae ad illius originem causasque percipiendas necessaria viderentur.

Res circa Pylum et Sphacteriam gestas, quamquam parvi momenti, a Thucydide diligenter et curiose tractari; quae vero Nicias, magno cum exercitu Peloponnesum circumvectus, praeclara facinora ediderit, cursim atque obiter attingi, Dionysius notat.

At res circa Pylum gestas parvi ad totius belli eventum momenti fuisse negaverim. Prima haec fuit clades, qua Lacedaemonii affecti sunt; παρὰ γνώμην τε δὴ μάλιστα (Thucyd. IV. 40.) τῶν κατὰ τὸν πόλεμον τοῦτο τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο. τοὺς γὰρ Λακεδαιμονίους οὔτε λιμῷ, οὔτ' ἀνάγκῃ οὐδεμιᾷ ἠξίουν τὰ ὅπλα παραδοῦναι, ἀλλὰ ἔχοντας, καὶ μαχομένους ὡς δύναντο, ἀποθνήσκειν. — Quid? quod hac una clade Lacedaemoniorum animi usque adeo afflicti sunt, ut legatos Athenas miserint, qui pacis conditiones ab Atheniensibus peterent.

Omnino vero ab historico non exigendum esse putem, ut nulla unquam in re paulo diutius subsistat; quam legem nemo unquam stricte observasse videtur. Adde, quod Thucydides summam manum operi non adhibuit.

Indignae tanto viro in patriam irae criminationem accurata confutatione dissolvere supersedeo, Thucydidem meo patrocinio haudquaquam egere persuasus.

Imprimis vero procemium historiae Thucydideae Dionysius haud sine contumelia perstringit.

Jud. de Thuc. hist. c. 19. sqq.

„πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα παραλιπὼν προοίμιον τῆς ἱστορίας μέχρι πεντακοσίων ἐκμηκύνει στίχων, τὰ πρὸ τοῦδε τοῦ πολέμου πραχθέντα τοῖς Ἕλλησι μικρὰ βουλόμενος ἀποδεῖξαι καὶ οὐκ ἄξια τῷδε παραβάλλεσθαι. οὔτε γὰρ τἀληθὲς οὕτως εἶχεν, ὡς ἐκ πολλῶν ἔστι παραδεῖξαι πραγμάτων· οὔτε ὁ τῆς τέχνης ὑπαγορεύει λόγος, οὕτω μεθοδεύειν τὰς αὐξήσεις. οὐ γὰρ εἴ τι τῶν μικρῶν μεῖζόν ἐστι, διὰ τοῦτό ἐστιν ἤδη μέγα· ἀλλ' εἴ τι τῶν μεγάλων ὑπερέχει. γέγονέ τε αὐτῷ τὸ προοίμιον τοσαύτας εἰληφὸς ἀποδεικτικὰς τῆς προθέσεως ἐξεργασίας ἱστορία τις αὐτὴ καθ' αὑτήν. οἱ δὲ τὰς ῥητορικὰς συνταξάμενοι τέχνας παραγγέλλουσι δείγματα τῶν λόγων τὰ προοίμια ποιεῖν, αὐτὰ τὰ κεφάλαια τῶν μελλόντων δηλοῦσθαι προσλαμβάνοντας· ὃ δὴ καὶ πεποίηκεν ὁ ἀνὴρ ἐπὶ τῷ τέλει τοῦ προοιμίου, μέλλων ἄρχεσθαι τῆς διηγήσεως, ἐν ἐλάττοσιν, ἢ πεντήκοντα, στίχοις· ὥστε τὰ πολλὰ ἐκεῖνα καὶ καταβλητικὰ τοῦ μεγέθους τῆς Ἑλλάδος οὐκ ἀναγκαίως αὐτῷ παρέλκεσθαι· κ. τ. ἑ.“

Huic crimini quod respondeam habeo. Thucydides, ut bellum Peloponnesiacum omnibus aliis, quae prius a Graecis gesta essent, majus atque funestius fuisse demonstraret, Graecorum an-

tiquitatem ad historiae leges revocavit, minime quo ejus gloriae detraheret. Illud unice spectans operam dedit, ut quae superessent vetustioris historiae monumenta conquireret, rerumque gestarum certam indidem memoriam erueret; et quidem ita hoc egit, ut in prooemio optimum artis historicae exemplum reliquerit.

Cf. Creuzer l. l. pag. 207, 208, 262 sqq.

At prooemio illo multa contineri, quae parum ad rem pertineant, Dionysius l. l. contendit.

„τί δ' ἦν ἀναγκαῖον περὶ τῆς Ἀθηναίων τρυφῆς, ἢ τὸ παλαιὸν ἐχρῶντο, λέγειν; ὅτι κρωβύλους τε ἀνεπλέκοντο, καὶ χρυσοῦς τέττιγας εἶχον ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς κ. τ. ἑ."

Videtur homo Graecus hac in re egregie lapsus esse. Quippe talibus ex rebus per se minus gravibus unice de moribus deque universo populi alicujus statu judicium iniri potest; tantumque abest, ut quantivis ista antiquitatis monumenta negligenda sint, ut e contrario historicus curiosissime ea colligere, atque posteritati tradere debeat.

Cf. Creuzer l. l. pag. 265.

Prooemium Herodoteum Dionysius ut multo melius Thucydideo elaboratum laudare videtur.

Epist. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 767.

Sed incertum est, utrum illud revera ab Herodoto an a posteriore manu profectum sit.

Cf. Creuzer l. l. pag. 299.

Theopompum et Anaxilaum prooemio ad alios autores calumniandos abusos esse, Dionysius notat.

Antiquit. Rom. I. c. 1. pag. 2.

Jam de episodiis historiae intermiscendis Dionysium audiamus.

Epist. ad Cn. Pomp. c. 6. p. 783 — 785.

„γνοίη δ' ἄν τις αὐτοῦ (Theopompi) τὸν πόνον, ἐνθυμηθεὶς τὸ πολύμορφον τῆς γραφῆς. καὶ γὰρ καὶ ἐθνῶν εἴρηκεν οἰκισμοὺς, καὶ πόλεων κτίσεις ἐπελήλυθε, βασιλέων τε βίους καὶ τρόπων ἰδιώματα δεδήλωκε, καὶ εἴ τι θαυμαστὸν ἢ παράδοξον ἑκάστη γῆ καὶ θάλασσα φέρει, συμπεριείληφεν ἐν τῇ πραγματείᾳ· καὶ μηδεὶς ὑπολάβῃ, ψυχαγωγίαν ταῦτ' εἶναι μόνον· οὐ γὰρ οὕτως ἔχει· ἀλλὰ πᾶσιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὠφέλειαν παρέχει. Ἵνα δὲ πάντ' ἀφῶ τἄλλα, τίς οὐχ ὁμολογήσει, τοῖς ἀκούουσι τὴν φιλόσοφον ῥητορικὴν ἀναγκαῖον εἶναι, πολλὰ μὲν ἔθνη καὶ βαρβάρων καὶ Ἑλλήνων ἐκμαθεῖν, πολλοὺς δὲ νόμους ἀκοῦσαι, πολιτειῶν σχήματα, καὶ βίους ἀνδρῶν, καὶ πράξεις, καὶ τέλη, καὶ τύχας. τούτοις τοίνυν ἅπασιν ἀφθονίαν δέδωκεν, οὐκ ἀπεσπασμένην τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ συμπαροῦσαν· πάντα δὲ ταῦτα ζηλωτὰ τοῦ συγγραφέως. καὶ ἔτι πρὸς τούτοις, ὅσα φιλοσοφεῖ παρ' ὅλην τὴν δικαιοσύνην καὶ εὐσέβειαν, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν πολλοὺς καὶ καλοὺς διεξερχόμενος λόγους· τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ χαρακτηρικώτατον — — τὸ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν μὴ μόνον τὰ φανερὰ τοῖς πολλοῖς ὁρᾶν καὶ λέγειν, ἀλλ' ἐξετάζειν καὶ τὰς ἀφανεῖς αἰτίας τῶν πράξεων καὶ τῶν πραξάντων αὐτὰς, καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ μὴ ῥᾴδια τοῖς πολλοῖς εἰδέναι· κ. τ. λ.“

Vetustiores imprimis historici narrationem episodiis variam et jucundam reddidisse dicuntur.

De Thuc. hist. jud. c. 7. p. 823.

Praecipue etiam Herodotus episodia adamat omniaque ad θεῖον illud Graecaeque gentis gloriam neque non voluptatem ex ipsis percipiendam dirigit.

Cf. Creuzer l. l. pag. 141 sqq. 201.

Iisdem saepe ad adumbrandos mores hominis alicujus exhibendamque ejus imaginem utitur; scilicet narratiuncula historiis interposita, unde viri ingenium moresque cognosci possint.

Cf. Creuzer l. l. pag. 162, 163.

Contra rerum a Thucydide expositarum moesta facies congruam adstrictamque scriptoris rationem requirebat; eademque hujusmodi digressionum amoenitatem respuebat. Quare rarissime tantum nec nisi necessitate coactus Thucydides episodia narrationi intermiscuit, eaque eandem asperitatem referunt, quam universum ejus opus prae se fert. Vidit hoc optime Dionysius.

Jud de Thuc. hist. c. 7. p. 823.

„Θουκυδίδῃ δὲ τῷ προελομένῳ μίαν ὑπόθεσιν, ᾗ παρεγίνετο αὐτὸς, οὐχ ἥρμοττεν ἐγκαταμιγνύειν τῇ διηγήσει τὰς θεατρικὰς γοητείας, οὐδὲ πρὸς τὴν ἀπάτην ἁρμόττεσθαι τῶν ἀναγνωσομένων, — — ἀλλὰ πρὸς τὴν ὠφέλειαν κ. τ. ἑ."

Cf Creuzer l. l. pag. 272 sqq. 289, 290.

Theopompum nimis saepe interpositis fabulis ineptisque episodiis ingenio suo indulsisse omnes consentiunt.

Epist. ad Cn. Pomp. c. 6. p. 787.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 22.

Xenophontem Dionysius hanc in partem collaudat; quod historiam rerum varietate jucundam amoenamque reddiderit (πεποίκιλκε τὴν γραφήν). Recte ille; licet non desint inter recentiores, qui in Xenophontis libris atque imprimis in Hellenicis tenuitatem et siccitatem reprehendant. Idem Xenophon nimio Lacedaemoniarum partium studio Spartanorum rebus exponendis justo diutius saepe immoratur, licet in Athenienses caeterosque Graecos laudem valde parcus sit. Quid? quod in regum ducumque

Laconicorum, Cleonymi praecipue, amoribus enarrandis diutius versatur, quam in Epaminondae elogio! Quanto melius Thucydides, qui teste ipso Dionysio (Jud. de Thuc. hist. c. 8. p. 825.) nulli unquam viro virtutibus insigni meritas laudes denegavit! Neque minus Xenophon nimius est in militaris prudentiae exemplis afferendis; alias res saepe aut silentio praeterit, aut minus diligenter pertractat.

Cf. Creuzer l. l. pag. 293 sqq.

Philistum Dionysius asseverat Thucydidis exemplo nunquam res alienas historiae suae inseruisse, adeoque valde simplicem esse ejus narrationem.

Epist. ad Cn. Pompej. c. 5. p. 780.

Nunc videamus, quae fuerit Dionysii de orationibus historiae inserendis sententia. Qua in re haud parum recentiores historici ab antiquis differunt. Apud veteres civitas orationibus regi solebat; omnium, quae gerebantur, causae orationibus continebantur; adeoque scriptoris erat, ut illas diligenter conquireret atque in opere suo collocaret.

Cf. Niebuhr. Röm. Geschichte. II. 19.

Dionysius omnino orationes historicorum reprobare videtur.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 20.

Thucydidem octavo historiarum libro nullas orationes inseruisse praedicat, quod eas οὐ μόνον ταῖς πράξεσιν αὐταῖς ἐμποδὼν γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσιν ὀχληρὰς εἶναι vidisset.

De Thuc. hist. jud. c. 16. p. 847.

„εἰ γέ τοι," dicit Dionysius l. eod., „τὴν πρώτην καὶ τὴν ὀγδόην βίβλον ἀντιπαρεξετάζοι τις ἀλλήλαις, οὔτε τῆς αὐτῆς ἂν

προαιρέσεως δόξειεν ἀμφοτέρας ὑπάρχειν, οὔτε τῆς αὐτῆς δυνάμεως· ἡ μὲν γὰρ, ὀλίγα πράγματα καὶ μικρὰ περιέχουσα, πλήθυει τῶν ῥητορείων ἡ δὲ, περὶ πολλὰς καὶ μεγάλας συνταχθεῖσα πράξεις, δημηγορικῶν σπανίζει λόγων."

Tamen, cum ejusmodi virum intra tam breve temporis spatium de tanti momenti re sententiam mutasse haud credibile sit, praematura morte abreptum esse conjicio, antequam caeteras orationes historiae inserendas elaboraverit; id quod tanto probabilius est, quanto diligentior atque accuratior Thucydides in orationibus elaborandis fuit.

Quodsi vero aliquis orationes historiae intermiscere velit, optime praecipit Dionysius, ut, si ille nec ipse eas audiverit, nec ab aliis ipsa earum verba acceperit, ad personarum, quae loquantur, vitam moresque eas dirigat.

Jud. de Thuc. hist. c. 41.

Ita etiam Thucydides I. c. 22.

„καὶ ὅσα μὲν," inquit, „λόγῳ εἶπον ἕκαστοι, ἢ μέλλοντες πολεμήσειν, ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν, ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ' ἂν ἐδόκουν μοι ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται."

Lysiam hac in re egregie versatum esse testis Dionysius;

Jud. de Lysia c. 8, 9.

„Ἀποδίδωμί τε τῷ αὐτῷ καὶ τὴν εὐπρεπεστάτην ἀρετὴν, καλουμένην δὲ ὑπὸ τῶν πολλῶν ἠθοποιΐαν. ἁπλῶς γὰρ οὐδὲ εὑρεῖν δύναμαι παρὰ τῷ ῥήτορι τούτῳ πρόσωπον οὔτε ἀνηθοποίητον, οὔτε ἄψυχον. τριῶν τε ὄντων, ἐν οἷς καὶ περὶ ἃ τὴν ἀρετὴν

ταύτην συμβέβηκεν εἶναι, διανοίας τε καὶ λέξεως, καὶ τρίτης τῆς συνθέσεως, ἐν ἅπασι τούτοις αὐτὸν ἀποφαίνομαι κατορθοῦν κ. τ. ἑ."

„Οἴομαι δὲ καὶ τὸ πρέπον ἔχειν τὴν Λυσίου λέξιν, οὐθενὸς ἧττον τῶν ἀρχαίων ῥητόρων, κρατίστην ἁπασῶν ἀρετὴν καὶ τελειοτάτην, ὁρῶν αὐτὴν πρός τε τὸν λέγοντα, καὶ πρὸς τοὺς ἀκούοντας, καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα — — ἀρκούντως ἡρμοσμένην· καὶ γὰρ ἡλικίᾳ, καὶ γένει, καὶ παιδείᾳ, καὶ ἐπιτηδεύματι, καὶ βίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις, ἐν οἷς διαφέρει προσώπων τὰ πρόσωπα, τὰς οἰκείας ἀποδίδωσι φωνάς· πρός τε τὸν ἀκροατὴν συμμετρεῖται τὰ λεγόμενα οἰκείως κ. τ. ἑ."

neque non etiam Demosthenem.

Idem Xenophontem vituperat, quod, nequaquam Herodoti exemplum sequutus, οὐδὲ τοῦ πρέποντος τοῖς προσώποις πολλάκις ἐστόχασται· περιτιθεὶς ἀνδράσιν ἰδιώταις καὶ βαρβάροις ἔσθ' ὅτε λόγους φιλοσόφους, λέξει χρώμενος λόγοις πρεπούσῃ μᾶλλον, ἢ στρατιωτικοῖς κατορθώμασι."

De vett. script. censura. c. 2. p. 426.

coll. Epist. ad Cn. Pompej. c. 4. extr. p. 779.

Cf. Creuzer l. l. pag. 302 sqq.

Philistus quoque hanc in partem a Dionysio vituperatur.

Ep ad Cn. Pompej. c. 5. p. 782.

„ἀλλ' οὐδὲ τοῖς μεγέθεσι τῶν ἀνδρῶν συνεξισοῖ τοὺς λόγους, ἀλλὰ ψοφοδεεῖς καὶ τοὺς δημηγοροῦντας καταλείπειν τὰς δυνάμεις καὶ τὰς προαιρέσεις ὁμοίως ἅπαντας ποιεῖ."

Deinde Dionysius diligentiam adhibendam esse monet, ne temere alia oratio enarretur, alia silentio praetereatur; neque intempestive locoque alieno orationes referantur.

Herodotus, ut omnino Ὁμηρικώτατος fuit, ita etiam Homeri exemplo minime omnes conciones et dialogos ex historia migrare jussit.

Cf. Creuzer l. l. pag. 164 — 167, 274 sqq.

Dion. Jud. de Thuc. hist. c. 23. p. 866:

„ἀρετάς τε τὰς μεγίστας καὶ λαμπροτάτας ἔξω τῶν ἐναγωνίων οὐδὲν ἐν ταύταις ἐνέλιπεν· εἴτ᾽ οὐκ εὖ πεφυκὼς πρὸς αὐτὰς, εἴτε κατὰ λογισμόν τινα ἑκουσίως ὑπεριδὼν, ὡς οὐχ ἁρμοττουσῶν ἱστορίαις. οὐδὲ γὰρ δημηγορίαις πολλαῖς ὁ ἀνὴρ, οὐδ᾽ ἐναγωνίοις κέχρηται λόγοις, οὐδ᾽ ἐν τῷ παθαίνειν, καὶ δεινοποιεῖν τὰ πράγματα τὴν ἀλκὴν ἔχει."

Marcellin. vita Thucydidis. pag. 6. (ed. Thuc. Ducker):

„δι᾽ ὀλίγων γὰρ ἐποίησε (Ἡρόδοτος δημηγορίας) λόγων, ὡς προσωποποιίας μᾶλλον ἤπερ δημηγορίας."

quibus Marcellini verbis, jam ab Ill. Creuzer. l. l. pag. 166. laudatis, quomodo Herodoteae orationes differant a Thucydideis, unice exprimitur.

In orationibus apud Thucydidem obviis Dionysius fere nihil non reprehendit, illaque imprimis vitia, quibus universum Thucydidis dicendi genus sordeat, in iis potissimum inesse contendit.

Jud. de Thuc. hist. c. 35. p. 899. coll. c. 51. p. 941. c. 55. p. 952.

Haud abs re videtur, paulo diutius in judicio, quod Dionysius de nonnullis Thucydidis orationibus tulit, considerando versari.

Primum de oratione, qua Pericles apud Thucydidem II. 60. sqq. se pro concione adversus inimicorum injurias defendit, agamus. Cujus hoc est initium:

„Καὶ προσδεχομένῳ μοι τὰ τῆς ὀργῆς ὑμῶν ἐς με γεγένηται· (αἰσ-

θαύομαι γὰρ τὰς αἰτίας) καὶ ἐκκλησίαν τούτου ἕνεκα ξυνήγαγον, ὅπως ὑπομνήσω, καὶ μέμψωμαι, εἴτι μὴ ὀρθῶς ἢ ἐμοὶ χαλεπαίνετε, ἢ ταῖς ξυμφοραῖς εἴκετε."

Adeo vehementem iraeque et indignationis plenissimam orationem minime aptam esse ad popellum mulcendum reumque servandum; potius in exordio benevolentiam et misericordiam concionis captandam fuisse, Dionysius autumat.

Ut vero dicere solent, non esse idem, cum duo faciant idem, ita Dionysii hanc regulam ad quotidianum fori usum optime accomodatam esse fateor; vir magnus vero et sibi conscius recti nunquam ad humilem ipsoque indignam deprecationem descendit; illum, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Quid? quod Pericles neque in capitis periculo, sed ad concionem, quam ipse advocaverat, antequam ab ullo accusatus esset, verba fecit! Praeterea omnium judicio nequaquam Periclis haec oratio justo ferocior et insolentior est, ita ut Athenienses, ea moti, parva pecunia mulctatum Periclem paulo post exercitui ducem praefecerint.

„ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι (Thuc. l. l.) πόλιν πλέω ξύμπασαν ὀρθουμένην ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ' ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην· καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνὴρ τὸ καθ' ἑαυτὸν, διαφθειρομένης τῆς πατρίδος, οὐδὲν ἧσσον ξυναπόλλυται· κακοτυχῶν δὲ ἐν εὐτυχούσῃ, πολλῷ μᾶλλον διασώζεται."

Dionysius belli mala, quibus tum temporis premebantur Athenienses, vel maxime in universam civitatem neque in singulos tantum incidisse monet.

Sane pestis illa multis exitium attulit; universam autem rempublicam, quae hominum penuria nunquam laboravit, haud

magno detrimento affecit. Alia belli mala, e. gr. Atticae regionis vastatio, fere in eos tantum cadebant, qui latifundiis aliove divitiarum genere gauderent; caeteros, jam sub reipublicae signis militantes, temporum acerbitas parum solicitabat; omnemque extra controversiam est, rempublicam Atheniensium, si, qui post Periclem summam rerum tenuerunt, ejus vestigia pressissent, neque cives pravis hominibus se ad pessima quaeque ducendos permisissent, ex infausto illo funestoque bello superiorem discessuram fuisse.

Dionysius, „οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τοῦ μέλλοντος," dicit, „ἐλπὶς, ὅτι ταῦτα πρὸς ἀγαθοῦ τῇ πόλει γενήσεται τὰ δεινὰ, βέβαιον εἶχέν τι· ἀφανὲς γὰρ ἀνθρώπῳ τὸ μέλλον· καὶ πρὸς τὰ παρόντα τὰς περὶ τῶν ἐσομένων γνώμας αἱ τύχαι τρέπουσι."

Jud. de Thuc. hist. c. 44. p. 925.

Attamen Pericles, qui rebus publicis insenuit, de futuris callidius conjecisse censendus est; nec inepte igitur apud Thucydidem cives a praesentium malorum sensu ad universae reipublicae statum considerandum erigit, eosque docet, salva republica facile sanari mala, quae in singulos cives incidissent.

„καίτοι ἐμοὶ (Thuc. l. l.) τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα· φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων. ὅ, τε γὰρ γνοὺς, καὶ μὴ σαφῶς διδάξας, ἐν ἴσῳ, εἰ καὶ μὴ ἐνεθυμήθη· ὅ, τ' ἔχων ἀμφότερα, τῇ δὲ πόλει δύσνους, οὐκ ἂν ὁμοίως τι οἰκείως φράζοι· προσόντος δὲ καὶ τοῦδε, χρήμασι δὲ νικωμένου, τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο."

Dionysius molestos fieri, qui suis laudibus diutius immorentur, imprimis in oratione coram judice aut ad populum habita, adeo-

que Pericli, omnium tum temporis oratorum principi, parum illa convenire dicit.

„ἀλλ' ὅπερ καὶ κατ' ἀρχὰς ἔφην, τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀποδεικνύμενος ὁ συγγραφεὺς, ἣν εἶχε περὶ τῆς Περικλέους ἀρετῆς, παρὰ τόπον ἔοικεν εἰρηκέναι ταῦτα· ἐχρῆν δὲ γ' αὐτὸν μὲν, ὅ τι βούλεται, περὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀποφαίνεσθαι, τῷ δὲ κινδυνεύοντι τοὺς ταπεινοὺς καὶ παραιτητικοὺς τῆς ὀργῆς ἀποδοῦναι λόγους. τοῦτο γὰρ ἦν πρέπον τῷ μιμεῖσθαι βουλομένῳ συγγραφεῖ τὴν ἀλήθειαν."

Jud. de Thuc. hist. c. 45.

At Periclem non ut reum verba fecisse, sed pro concione, quam ipse ut exercitus praetor convocaverat, eum exposita suorum in cives suos meritorum amplitudine futurum periculum antevertere malevolorumque hominum invidias diluere voluisse teneamus. Quid? quod Socrates inimicorum criminationibus solam meritorum suorum commendationem opposuit!

Cf. Dionys. Art. rhet. cap. 12. pag. 358.

Ita Scipio Aemilianus, ut Livius XXXVIII. 50. perhibet, „Jussus dicere causam, sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret neminem unquam neque melius, neque verius laudatum esse. Dicebantur enim ab eodem animo, a quo gesta erant, et aurium fastidium aberat, quia pro periculo, non in gloriam referebantur."

Cf. Heyn. Excurs. XII. ad Aeneid. libr. I.

Jam Pericles apud Thucydidem, Athenienses, dum mare tenerent, a nemine unquam victum iri dicit;

„ὧν ἡ πίστις οὐχ ἡ παροῦσα ἦν, (Dionys. de Thuc. hist. jud. c. 47.) ἀλλ' ἡ μέλλουσα οὐδ' ἐν τῇ προνοίᾳ τὸ βέβαιον ἔχουσα, ἀλλ' ἐν ταῖς ἐλπίσιν."

ac nihilominus eosdem, ne fortunae unquam fidem haberent, sapienter monet. Quae inter se pugnare Dionysio videntur.

Sed fore, ut Athenienses, donec mare tenerent, a nemine vincerentur, non spes tantum, sed, ut Pericles ibidem innuit, γνώμη ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων fuit; neque igitur sibi contradicit ille.

Alias ejusdem orationis partes Dionysius dignis laudibus cumulat.

De Thuc. hist. jud. c. 47. p. 930 sqq.

At vero idem Thucydidem reprehendit, quod, sicut omnino ejus in libris alia summa cum cura optimeque elaborata, alia perquam negligenter scripta sint, praecipue in orationibus hanc in partem lapsus sit. Ita, cum secundo belli Peloponnesiaci anno Athenienses multis infortuniis exhausti Spartam pacis oratores miserint, neque non Lacedaemonii post acceptam in Sphacteria cladem ab Atheniensibus pacem petierint, Thucydidem de illis Atheniensium legatis brevissime agere, orationes vero a Spartanorum oratoribus Athenis habitas accuratissime enarrare docet.

De Thuc. hist. jud. c. 14, 15.

Verum Thucydides in universa historia sua id tenuit, ut suis pravis consiliis Athenienses sibi ipsos perniciem parasse demonstraret; ideoque necesse habuit exponere, quomodo vel Lacedaemoniorum preces aversati honestam gloriosamque pacem repudiaverint. Immo superbissimos illos Lacedaemonios pacis conditiones humillimis precibus ab Atheniensibus petiisse tam novum inauditumque fuit, ut Thucydides vel hanc ob causam eorum orationem haud potuerit omittere (cf. ejus ipsius orationis, quae apud Thucydidem exstat, initium); id quod nec insignis causae,

ob quam habita est, gravitas patiebatur. (de qua alio loco exposuimus)

De Mitylenaeis in ordinem redigendis cum duae habitae sint Athenis conciones, Thucydidem Dionysius orationes in priori, qua populus Mitylenaeos capitis damnaverit, habitas ne verbo quidem attingere dicit; ab eodem contra minutatim enarrari orationes in altera concione habitas, quo in conventu populum prioris decreti poenituerit

Jud. de Thuc. hist. c. 17.

Quid? idem criticus negat, celeberrimam illam laudationem funebrem a Pericle habitam suo loco prolatam esse.

Multas in illo bello magnas cruentasque pugnas pugnatas esse, in quibus multi bonique cives ceciderint; adeoque in horum potius, quam in paucissimorum equitum, qui in ipso belli initio occubuerint, honorem habitam laudationem historiae inserendam fuisse contendit.

Jud. de Thuc. hist. cap. 18.

Haudquaquam infitiabor, eorum, qui tum temporis ciciderant, parvum fuisse numerum. At fortasse e caeteris istiusmodi laudationibus in bello Peloponnesiaco habitis Thucydidi nulla digna visa est, quam historiae insereret; forsitan neque earum copiam habuit, aut, cum haud multum ab illa Periclis differrent, ea in initio operis posita rem in universum absolvere voluit.

„Ἀλλ᾽ ἔοικεν ὁ συγγραφεύς· (Dionys l. l.) εἰρήσεται γὰρ ἃ φρονῶ· τῷ Περικλέους προσώπῳ βουλόμενος ἀποχρήσασθαι, καὶ τὸν ἐπιτάφιον ἔπαινον ὡς ὑπ᾽ ἐκείνου ῥηθέντα συνθεῖναι· ἐπεὶ δὲ κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος ἐτελεύτησεν ἀνὴρ τοῦδε τοῦ πολέμου, καὶ

οὐδὲ μιᾷ τῶν μετὰ ταῦτα γενομένων τῇ πόλει συμφορῶν παρεγένετο, εἰς ἐκεῖνο τὸ μικρὸν καὶ οὐκ ἄξιον σπουδῆς ἔργον τὸν ὑπὲρ τὴν ἀξίαν τοῦ πράγματος ἔπαινον ἀποθέσθαι."

Imprimis vero Dionysius celeberrimum illud colloquium Melios inter et Atheniensium duces habitum omnibus modis exagitat. Barbaris regibus hanc orationem ad Graecos forsitan convenisse, minime Atheniensibus, qui Graeciam a barbaris liberaverint, autumat.

Jud. de Thuc. hist. c. 38. sqq.

Sed Athenienses multo majorem crudelitatem in Melios, quam Darium in Eretrienses, exercuisse constat, eornmque sermones factis similes fuisse convenit.

Dionysius, quod Thucydides colloquio illi haud ipse interfuerit, universum dialogum ab eo confictum esse censet; quippe nec ab uno eorum, qui ejus participes tuerint, Thucydidem certi aliquid de eo accipere potuisse dicit, qui seilicet, postquam in exilium ejectus fuisset, per omne reliquum belli tempus in Thracia vixerit.

Marcellinus Thucydidem patria pulsum in Aeginam se contulisse tradit. Nec minus vero etiam in Thracia contingere potuit, ut ab Atheniense seu Melio aliquo, qui sermonum illorum particeps fuisset, certum de iis nuntium acciperet.

Praecipue Dionysius (l. l. cap. 40.), quae est ejus pietas, aegre fert, in dialogo illo Athenienses etiam erga Deos induci impios, cum, ut ipse ait, haec sit summa Atheniensium laus, quod, omnibus in rebus temporibusque Deos duces sequuti, nihil unquam sine vaticiniis aut oraculis egerint. Thucydidem parum generoso suas injurias ulciscendi studio hac labe cives suos aspersisse suspicatur (ibid. cap. 41. extr.).

Thucydides in dialogo illo primum ex sua persona, quae ab utraque parte dicta sint, refert; mox ipsas personas loquentes inducit. Quod minus probare videtur Dionysius.

Jud. de Thuc. hist. c. 37. p. 906.

Ut personae, quae loquens inducitur, conveniat oratio, id imprimis agendum est, ut nativum ea nec fucatum colorem prae se ferat, neque figurarum nimia varietate nimioque splendore turgeat. Hanc legem Dionysius prudentissime statuit;

Cf. Jud. de Thuc. hist. c. 42, 43.

idemque dicit, sibi aliquot ex Thucydidis orationibus minus arridere, quod ea in iis neglecta sit; alias, ut ejusdem vitii expertes, merita laude onerat.

Haec hactenus. Orationes Thucydideae, ut paucis absolvam, haudquaquam eandem suavitatem illam, quam Herodoteae, spirant; etenim ab argumenti ipsius personarumque gravitate lepidum et jucundum dicendi genus abhorrebat; multoque etiam magis artes oratoriae, quibus in foro opus est. Facit huc egregie Ciceronis illud (Brut. c. 83.):

„Orationes autem, quas interposuit, eas laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim.“

Cf. Creuzer l. l. pag. 279 sqq.

Quae etiam causa esse videtur, quare Dionysio eae minus probentur. Qui eo imprimis consilio libros criticos composuit, ut optimorum dicendi exemplorum copiam aliis proponeret.

Cf. De composit. verbor. c. 1. p. 2. extr. c. 4. p. 32. c. 11. p. 57. c. 26. p. 215.

De vett. script. censur. c. 2. p. 428.

De oratoribus antiquis. c. 2.
Jud. de Lysia. c. 6. p. 464 sqq.
Epist. I. ad Ammaeum. c. 2. p. 722.
Epist. ad Cn. Pompej. c. 5. extr. c. 6. p. 787.
Jud. de Thucyd. hist. c. 1. p. 810, 811. c. 27. p. 882. init. c. 28. p. 883. init. c. 29. init. c. 42. p. 921. c. 48. p. 934. c. 49. p. 937, 938. c. 50. c. 55. p. 950—952.
De admiranda vi dicendi in Demosthene. c. 15. 50. 51.

CAPUT III.

De Ordine, quo res gestae narrandae sint.

Dionysius in instituendo narrationis ordine summam historici artem spectari, Thucydidemque tempora, Herodotum rerum conjunctiouem (*ταῖς περιοχαῖς των πραγμάτων*) sequutum esse dicit.

Ep. ad Cn. Pompej. c. 3. p. 773, 774.

„καὶ γίνεται Θουκυδίδης μὲν ἀσαφὴς καὶ δυσπαρακολούθητος· πολλῶν γὰρ κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος καὶ χειμῶνα γιγνομένων ἐν διαφόροις, ὡς εἰκὸς, τόποις, ἡμιτελεῖς τὰς πρώτας πράξεις καταλιπὼν, ἑτέρων ἅπτεται τῶν κατὰ τὸ αὐτὸ θέρος ἢ χειμῶνα γιγνομένων. πλανώμεθα δὴ, καθάπερ εἰκὸς, καὶ δυσκόλως τοῖς δηλουμένοις παρακολουθοῦμεν, ταραττομένης τῆς διανοίας. Ἡρόδοτος δὲ — — — οὐ διέσπασε τὴν διήγησιν, ἀλλὰ συμβέβηκε, τῷ μὲν, μίαν ὑπόθεσιν λαβόντι, πολλὰ ποιῆσαι μέρη τὸ ἓν σῶμα· τῷ δὲ, τὰς πολλὰς καὶ οὐδὲν ἐοικυίας ὑποθέσεις προελομένῳ, σύμφωνον ἓν σῶμα πεποιηκέναι."

Vetustissimi Graecorum historici secundum temporis ordinem res gestas exposuerunt. Primus Dionysius Milesius alium narrationis ordinem elegit, ut ex Diodoro Siculo, qui eum imprimis autorem sequutus est, cognoscimus. Neque tamen hac in re ante Herodotum ullus artis historicae legibus satisfecisse videtur.

Cf. Creuzer l. l. pag. 113 sqq.

Qui res diversissimas veluti uno filo contexuit, omnes ad θεῖον

illud referendo, cujus auspiciis Graeci victoriam de Persis reportarint. Ad illustrandam immensam Persarum potentiam singulas provincias eorum dominio subjectas percensuit deque unaquaque earum copiose exposuit.

Jud. de Thuc. hist. c. 9. p. 826.

Creuzer l. l. pag. 140. sqq.

Finis universi operis est gloriosissima Graeco nomini ex Persis relata victoria. Minus huc pertinentia in episodiis occurrunt, ut Aegyptiorum historia.

Cf. Creuzer ibid.

Thucydidem Dionysius

Jud. de Thuc. hist. c. 9.

historia in aestates et hyemes distincta, eam obscuram luminisque expertem effecisse exemplis probat.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 24.

At, ni fallor, haecce distinctio vel maxime ex argumenti, quod Thucydides elaboravit, natura apte repetita est. Lacedaemonii tempore aestivo Atticam regionem populabantur; Athenienses, classe circumvecti, Peloponnesum; hyemem utrique domi transigebant.

Cf. Creuzer l. l. pag. 267 — 271.

coll. Niebuhr. Röm. Gesch. II. 92.

Dicit praeterea Dionysius l. l., quam parum hic ordo historiis enarrandis conveniat, nulla re apertius declarari, quam eo, quod nemo post Thucydidem eundem sequutus sit. Sed aliorum temporum bellorumque alia fuit ratio, unde necessario evenit, ut autores in iis describendis alium etiam ordinem sequuti sint.

Xenophontis librorum oeconomiam Dionysius valde approbavit.

Epist. ad Cn. Pompej. c. 4. p. 778.

Nihilominus Xenophon in Hellenicis — mitto caetera ejusdem scripta — extremos belli Peloponnesiaci annos eodem, quo Thucydides, modo veris, aestatis, autumni, hyemis notis distinxit; nec minus in reliqua Hellenicorum parte annorum ordinem sequutus est; numeros archontum, ephororum, annorum Olympicorum a recentiori manu interpolatos esse, doctorum virorum consensu confirmatur; quin Polybius diserte admonet, illam subtiliorem chronologiam primum Timaeum cum historia conjunxisse.

Theopompum Dionysius historiam bene disposuisse praedicat.

Ep. ad Cn. Pompej. c. 6. p. 783.

Idem Philistum acriter reprehendit ab ordine nimis obscuro, eumque in oeconomia librorum suorum instituenda vel Thucydide pejus versatum esse docet.

Epist. ad Cn. Pomp. c. 5. p. 780.

SECTIO II.

JUDICIUM DE DIONYSII OPERE, QUOD ARCHAEOLOGIA INSCRIBITUR.

CAP. I.

De Dionysii Fide Historica.

Ante hos octoginta fere annos Ludovicus de Beaufort

„Sur l'incertitude des cinq prémiers siècles de Rome. Ultrajecti ad Rhen. 1738."

Romanae historiae fabulositatem demonstravit. Christian. Saxius, in Miscell. Lips. vol. 1. 2., contrarium defendendum suscepit. Inter recentiores imprimis Niebuhrius V. D.

„Römische Geschichte. Berlin. 1811, 1812. 2 tom."

Romanam historiam docte et acute tractavit; idem de Dionysio durissimam tulit sententiam

I. pag. 32. 153. 160. 275. 298. 371. II. pag. V. 17. 58. not. 60. pag. 98.

Etiam Wachsmuth V. D.

„Die ältere Geschichte des römischen Staates. Halle. 1819."

acerbus est Dionysii nostri censor.

pag. 44 — 48. 18. 23. 27, 28. 138. 141. 152. 167. 203. 255. 259. 262. 304. sqq.

Neque aliter Dirksen

„Civilistische Abhandlungen (Berol. 1820). t. I. p. 100.

de eodem sentire videtur.

Schlegel, V. Cel.

Heidelberger Jahrbücher. 1816. n. 53.

omnino antiquioris Romanae historiae veritatem ullo modo reperiri posse negavit; multaque hanc in sententiam satis acute et, ni fallor, cum εἰρωνείᾳ quadam argumentatus est.

Cf. e. gr. Creuzer, Symbolik und Mythologie, ed. II. tom. 2. pag. 845. not. 20.

Antequam historia Romana recte scribi possit, eorum, qui ante Romanos in Italia floruere, populorum historia accuratius examinanda atque explicanda videtur. Quam ob causam celeberrimum illud opus, quod Lanzi edidit,

„Saggio di lingua Etrusca e di altre antiche d'Italia. In Roma. 1789. 3 tom. 8."

haud facile ullo pretio taxandum est; neque spernendus liber, quo Micali nuper de vetustioribus Italiae populis exposuit.

Cf. Niebuhr. I. pag. XIII.

Schlegel l. l. pag. 859.

De fontibus antiquioris Italorum historiae omnino consulendus est Creuzer l. l. pag. 819—821. De Dionysio ejusque antiquitatibus testimonia occurrunt apud Reiskium, tom. I. praefat. pag. XXXII. sqq.

Primum igitur, ut rem ipsam aggrediamur, necesse est videre, quaenam fuerit Dionysii de rebus divinis persuasio. Qua in re summa ejus eademque laus est, quae Plutarchi; quod

scilicet nunquam, ut Lucianus, ad temerariam Deorum contemtionem se converterit, sed Graecae originis suae memor pietatem erga Deos nunquam exuerit. Pertinet huc praecipue I. c. 67, 68., ubi Dionysius Timaeum vituperat, quod is contra fas, quae de Palladio Romanae urbis ab indigenis accepisset, memoriae prodiderit.

„ἐγὼ δὲ ὅσα μὲν ὁρᾶν ἅπασιν οὐ θέμις, οὔτε παρὰ τῶν ὁρώντων ἀκούειν, οὐδ᾽ ἂν ἐπιγράφειν οἴομαι δεῖν. νεμεσῶ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι πλείω τῶν συγχωρουμένων ὑπὸ νόμου ζητεῖν ἢ γινώσκειν ἀξιοῦσιν. κ. τ. ἑ.“

Cf. II. c. 66.

Ineptas fabulas, quibus Dii ferebantur admisisse facinora, quorum vel homines pudeat, Dionysius quam maxime contemnit, easque maximam partem a Romulo in recens condita urbe non esse receptas gaudet.

Cf. II. c. 18. sqq.

Caute tamen I. c. 77. hasce fabulas attingit minimeque eas deridere audet.

Cf. IV. c. 2. init.

Insignem rerum divinarum curam, qua Romulus et Numa excelluisse feruntur, dignis laudibus prosequitur.

II. c. 67. Vestalibus, quae, expleto triginta annorum spatio, viro nupserint, parum felicem contigisse vitae finem, ideoque reliquas, illarum casu pro omine accepto, virginitatem usque ad mortem retinere solitas esse dicit.

„Εἴη δ᾽ ἂν ἁρμόττον,“ idem VIII. c. 56. dicit, „ἱστορίας σχήματι καὶ ἐπανορθώσεως ἕνεκα τῶν οἰομένων μήτ᾽ ἐπὶ ταῖς τιμαῖς ταῖς παρ᾽ ἀνθρώπων χαίρειν τοὺς θεοὺς, μήτ᾽ ἐπὶ ταῖς ἀνοσίοις καὶ ἀδίκοις πράξεσιν ἀγανακτεῖν, τὸ δηλῶσαι τὴν γε-

νομένην ἐπιφάνειαν τῆς θεοῦ (**Fortunae muliebris**) *κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δὶς, ὡς αἱ τῶν ἱεροφαντῶν περιέχουσι γραφαὶ, ἵνα τοῖς μὲν εὐλαβεστέροις περὶ τὸ συνέχειν, ἃς παρὰ τῶν προγόνων δόξας ὑπὲρ τοῦ δαιμονίου παρέλαβον, ἀμεταμέλητος ἡ τοιαύτη προαίρεσις καὶ βεβαία διαμένῃ· τοῖς δὲ ὑπερορῶσι τῶν πατρίων ἐθισμῶν, καὶ μηθενὸς ποιοῦσι τὸ δαιμόνιον κύριον τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν, μάλιστα μὲν ἀναθέσθαι ἢ ταύτην τὴν δόξαν· εἰ δ' ἀνιάτως ἔχουσιν, ἔτι μᾶλλον αὐτοῖς ἀπεχθάνεσθαι, καὶ κακοδαιμονεστέροις εἶναι.*"

Cf. II. c. 68, 69.

Omnino Dionysius ejusmodi fabulas ad illustrandam Deorum potentiam saepius historiae intermiscet. Quo pertinent, quae III. c. 70, 71. de Atto Naevio refert, aliaque.

Cf. e. c. VI. c. 13. VII. c. 68.

Tamen prudenter hisce in rebus semper *λέγεται*, *φασί*, vel similem voculam interponit.

Tullum Hostilium Ancus Marcius insidiis oppressisse dicitur; Dionysius in alia it omnia. III. c. 35.

„*οὔτε γὰρ ἀπόῤῥητον φυλαχθῆναι τὴν πρᾶξιν ὑπὸ πολλῶν συσκευαζομένην εἰκὸς ἦν· — — — οὔτ', εἰ τὰ παρὰ τῶν ἀνθρώπων αὐτῷ πιστὰ καὶ βέβαια ἦν, τά γέ τοι παρὰ τῶν θεῶν ὅμοια ἔμελλε ταῖς τῶν ἀνθρώπων ἐννοίαις ἔσεσθαι. μετὰ γὰρ τὴν ὑπὸ τῶν φυλῶν γενησομένην ψηφηφορίαν τοὺς θεοὺς ἔδει τὴν βασιλείαν αὐτῷ δι' οἰωνῶν αἰσίων ἐπιθεσπίσαι· ἄνδρα δὲ μιαρὸν καὶ τοσούτοις ἡμαγμένον φόνοις ἀδίκως, τίς ἔμελλε θεῶν ἢ δαιμόνων παρήσειν βωμοῖς τε προσιόντα κ. τ. λ.*"

Cf. praeterea hanc in rem:

III. c. 5. c. 28. p. 495. IV. c. 80. p. 829. c. 83. p. 835. V. c. 33. p. 919. v. 12, 13. c. 46 VI. c. 6. VIII. c. 2.

c. 28. p. 1566. extr. X. c. 10. p. 2010. XI. c. 27. p. 2223. v. 11. sqq.

Videtur Noster eo, quod haud raro plura se aliqua de re dicere non fas esse, seu jam videri se nimis multa de rebus sacris dixisse monet, Herodotum secutus esse, qui ejusmodi formulas frequentat.

Ut Herodotus rebus humanis quendam veluti orbem inesse easdemque certo atque immutabili Divini numinis consilio regi, singulis paginis pronunciat, ita Dionysius in eo sapientiae experientiaeque summam reponit, quod perpetuas esse rerum humanarum vicissitudines noverit. VIII. c. 1. p. 1505. v. 4, 5.

„Μεταβολῆς ἔχεται πάντα τὰ πράγματα, καὶ οὐδὲν ἐπὶ τῶν αὐτῶν φιλεῖ διαμένειν· νεμεσᾶταί τε ἅπαντα ὑπὸ θεῶν τὰ ὑπερέχοντα, ὅταν εἰς ἄκρον ἐπιφανείας ἀφίκηται, καὶ τρέπεται πάλιν εἰς τὸ μηδέν."

VIII. c. 25. p. 1557.

Cf. VI. c. 94. p. 1259. VIII. c. 27. c. 33. c. 50. c. 52. Videsis etiam VII. c. 21. p. 1361. IV. c. 63. p. 795. VIII. c. 69. p. 1675. c. 80. p. 1704.

III. c. 21. p. 461. haec de Horatio, qui victoriam de Curiatiis retulit, exstant:

„Ἔδει δὲ ἄρα καὶ τοῦτον ἄνθρωπον ὄντα μὴ πάντα διευτυχεῖν, ἀλλ' ἀπολαῦσαί τι τοῦ φθονεροῦ δαίμονος, ὃς αὐτὸν ἐκ μικροῦ μέγαν ἐν ὀλίγῳ θεὶς χρόνῳ, καὶ εἰς ἐπιφάνειαν θαυμαστὴν καὶ παράδοξον ἐξάρας, κατέβαλε φέρων αὐθημερὸν εἰς ἄχαριν συμφορὰν ἀδελφοκτόνον."

Dis te minorem quod geris imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.

Haec fuit de rebus divinis Dionysii sententia. Ita semper ille in indagandis eventuum causis versatus est, ut nec vanae religioni obnoxius omnia temere ad Deos auctores retulerit, nec Deos esse, qui res humanas curae habeant, unquam negaverit. Jamque praeclare aliquis de ejus fide historica existimaverit.

Reiskius, in praef. suae Dionysii editionis, pag. XXII, „Dionysius," inquit, „historiam scripsit non ut homo civilis, non ut autor pragmaticus, sed plane ut professor, h. e. ludimagister." Eum pueris instituendis Romae operam dedisse nemo negaverit (cf. de Composit. verbor. cap. 20. p. 144. Art. rhetor. cap. 2. p. 234. cap. 10. p. 393.), neque tamen eum ludimagistrum vocaveris, nisi eodem nomine Quintilianum quoque dignum esse duxeris; eumque vel maxime ut hominem civilem historias suas scripsisse, quibus in componendis unice civium suorum utilitatem spectavit, demonstrare tentabimus.

Dionysius se (ut Theopompum) praestantissimorum virorum commercio perquam adjutum esse ad historiam conscribendam praedicat. l. c. 7. p. 21. Utque omnino historicum haud obscure vixisse nec in scholae umbra consenuisse oportet, ita Romanae praecipue historiae ea fuit ratio, ut, qui eam describere vellet, illo carere nequiret Apud Romanos enim diurna senatorum, mortuorumque laudationes, quas familiae ut Tullius ait, quasi sua ornamenta et monumenta servabant, multarum rerum memoriam continebant; eorumque librorum legendorum nemini copia fiebat, nisi quocum ab ipsis familiis communicaentur.

Cf. I. c. 74. p. 190. c. 85. p. 221. v. 10, 11. IV. c. 22. p. 690.
Niebuhr. II. 101.
Wachsmuth pag. 12. sqq. 244.
Lips. in libr. V. annalium Taciti.

Quid? publica rerum gestarum monumenta pleraque, ut libros censuales, foederum atque legatis responsorum archetypa, quae in templis asservabantur, si quis inspicere volebat, illustris alicujus Romani commendatione opus ei erat.

Van Goudoever, de historicis Polybii laudibus. Trajecti ad Rhen. 1809. §. 5.

In philosophiam, quae vel maxime necessaria est historico, Dionysius haud mediocri cum studio successuque incubuit. Stoicae sectae adhaesisse fertur.

VIII. c. 62. p. 1652. ibi Huds. not. n.

Pertinent huc. quae supra de ejus de rebus divinis persuasione exposuimus.

In politica prudentia idem nemini facile cesserit. Cf. e. gr. V. c. 8:

„Τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἔργα θατέρου τῶν ὑπάτων Βρούτου μεγάλα καὶ θαυμαστὰ λέγειν ἔχων, ἐφ' οἷς μέγιστα φρονοῦσι Ῥωμαῖοι, δέδοικα μὴ σκληρὰ καὶ ἄπιστα τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι δόξω λέγειν· ἐπειδὴ πεφύκασιν ἅπαντες ἀπὸ τῶν οἰκείων τὰ περὶ τῶν ἄλλων λεγόμενα κρίνειν, καὶ τὸ πιστὸν ἢ ἄπιστον ἐφ' ἑαυτοῖς ποιεῖν.“

Judicium de populo ad ejus ipsius tantummodo mores institutaque dirigendum est. Quam legem multi alii atque imprimis Graeci autores nec impune neglexerunt. Equidem, licet universum Dionysii opus attente perlegerim, ne unum quidem in locum incidi, ubi e. gr. de causis legum, ut Reiskius, loco supra laudato, judicat, inepte atque pueriliter disputaverit. II. c. 18.

sqq. de praecipuis causis felicitatis civitatum prudentissime exponitur.

Cf. etiam II. c. 24. p. 285. c. 62. p. 368. (coll. Nieb. I. 166.) c. 74—76. III. c. 1. p. 406. c. 11. IV. c. 9. (coll. Nieb. I. 258, 259.) c. 23, 24. V. c. 60. (coll. Dirksen l. l. pag. 116.) c. 64—68. c. 77. VI. c. 23. init. c. 24. c. 32. p. 1114. v. 11—13. c. 36. p. 1123. c. 84. p. 1234. VII. c. 8. init. p. 1328. ibi Casaub. not. l. c. 18. c. 26. p. 1372. VIII. c. 10. p. 1524. c. 36. p. 1589. c. 83. p. 1711. X. c. 17. p. 2033. Niebuhr. II. 46. not. 45.

quibus ex locis satis apparet, Dionysium Romanorum institutorum rationem penitus cognitam habuisse deque iisdem nunquam non acute et circumspecte judicasse. Alia, quae huc pertineant, infra afferemus. Imprimis vero orationibus apud Dionysium obviis artis politicae leges exponuntur exemplisque firmantur.

Sexcenties lectores admonet, ut ad illa quisque acriter intendat animum, ut Livius ait, quae majorum vita, qui mores fuerint; per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; utque in ritibus patriis constanter a posteris servatis lubentissime commoratur,

Cf. e. c. III. c. 23. p. 284. IV. c. 14. p. 672, 673. c. 22. p. 690. VI. c. 89. p. 1248. VIII. c. 44. p. 1609.

ita ritus patrios Deosque neglectos Romani imperii fundamenta subvertisse, antiqua reipublicae tempora cum recentiori rerum statu comparando, demonstrat;

Cf. II. c. 6. p. 248, 249. c. 11. p. 260. c. 14. p. 265. c. 24. p. 284. c. 34. p. 308. c. 74. p. 398. III. c. 21. p. 464, 465. V. c. 60. p. 989. VII. c. 35. p. 1389. v. 10, 11. VIII. c. 37. p. 1592. X. c. 17. extr.

adeoque civibus suis, Graecis, Scipionis illud in mentem revocat:

Ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.

Vides, virum minime temporibus assentiri.

Haec hactenus.

Dionysius, ut omnium, qui latino sermone de rebus Romanis memoriae prodidissent, libros nullo adhibito interprete perlegere posset, latinum se addidicisse sermonem docet. I. c. 7. Quippe in uniuscujusque populi historia primum indigenas ejus ipsius autores audiendos esse pronunciat; quae unice vera lex.

Cf. I. c. 11. p. 29. c. 28. p. 73. VII. c. 1. p. 1314.

Ita II. c. 49. p. 339. Dionysius de Sabinorum origine expositis autorum sententiis ultimo loco, quam ipsi Sabini in annalibus suis habuerint narrationem, ut maxime verisimilem affert; quae quidem ita ferebat, ut ipsi ex Lacedaemoniorum colonia orti essent.

Cf. Wachsmuth p. 68.

Micali Part. 1. cap. 11. Graecam fuisse Sabinorum originem negat.

De tempore, quo Roma condita sit, allatis Graecorum testimoniis Romanos autores ultimo loco profert; unde jam satis apparet, in istorum sententiam eum inclinasse. I. c. 72 — 74.

De Aeneae adventu in Italiam nihil se narrasse asseverat, nisi quod ipse ab indigenis accepisset.

I. c. 55. p. 139. coll. c. 51. p. 130.

Micali Part. 1. cap. 4. pag. 45.

Heyn. Excurs. XIII. ad Aeneid. l. III.

Evandrum ex Arcadia in Italiam venisse Graecorum Romanorumque consensu probat. I. c. 31.

Latinum, quo tempore Aeneas in Latium immigraverit, ibi regnasse, ipsorum Romanorum testimonio confirmat. I. c. 44. p. 112.

Res a Numa gestas se ita narraturum, ut ipsi Romani de iis memoriae tradiderint, bis diserte affirmat. II. c. 60. p. 363. c. 61. p. 366. coll. III. c. 42. extr.

Prisci Romanorum annales tenues et exiles fuerunt; Graeci demum eos fabulis commentitiis exornaverunt, ut rerum varietate jucundos redderent. Historico igitur id agendum erat, ut Graecorum fabulas ex Romana historia evelleret. Quare Dionysius III. c. 46. p. 538 (coll. Niebuhr. I. 213. sqq. Wachsmuth pag. 154, 155. Creuzer, Symbolik und Mythologie. ed. I. tom. 2. p. 433.) c. 69. p. 585, 586. IV. c. 2. aliisque in locis expressim asseverat, se fabulam in domesticis Romanorum annalibus reperisse. — Imprimis in ritibus Romanorum explicandis Dionysius Romanorum tantum scriptorum auctoritatem sequutus est. Cf. e. gr. V. c. 11. p. 870.

Imprimis ille operam dedit, ut vetustissimorum carminum, quae superessent, reliquias conquireret. Quoniam Schlegel l. l. haecce carmina unquam extitisse negavit, accuratius de iis agere necesse videtur. Niebuhrius I. 177. sqq. 294. 307. 318. II. 9. 77. 98. (coll. Wachsmuth pag. 397.) de iis multo cum acumine exposuit, eaque revera quondam extitisse veterum autorum testimoniis comprobavit hisce: Cic. Brut. c. 18, 19. Tuscul. Quaest. I. c. 2. Fest. s. v. Camenae. Horat. Epist. II. 1. 26. Liv. I. 58. Schlegel veteribus illis versibus breves potius formulas, e. gr. Deorum invocationem aliave id genus, quam longa poëmata,

fuisse comprehensas, eo praecipue argumento tuetur, quod illos ad tibiae sonum a Romanis cantatos esse autores prodant. Eodem pertinere dicit Varronis illa (De vita pop. Rom. lib. II.):

„In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce et cum tibicine.“

et Horat. Carm. IV. 15.

„Nosque et profestis lucibus et sacris etc.“

(Cf. etiam Valer. Max. II. 1. 10.)

Ubi, ut Romae ab initio Urbis, penes sacerdotes sit summum imperium, ibi neque nasci, neque excoli posse artem poëticam asserit, praetereaque Romanos, totos bellis gerendis agrisque colendis deditos, ab omni bona arte atque imprimis a poëtica tantum non semper alienissimos fuisse ipsumque poëtarum nomen Graecum esse; Romanam linguam horridam illam verbisque paucissimis inclusam diu vix legibus scribendis, nedum historiae suffecisse.

Cf. Wachsmuth pag. 15—23.

Tamen ubi sacerdotes imperent, ibi e contrario semper florere artem poëticam, vel orientalium regionum exemplis, quae recens ad notitiam nostram pervenerunt, satis luculenter probatur. Idem sacerdotes, qui poëtas, agit divinus animi impetus, omnesque fabulae, quae ex antiquitate ad nos pervenerunt, fuisse eosdem fere semper poëtas, ac sacerdotes, docent. Schlegel latinam linguam carere verbo, quod poëtam significet, contendit. At vates est ille, qui res futuras praeteritasque cognitas habeat atque utrasque carmine suo complectatur; hac voce Latini poëtas eosdemque sacerdotes vocaverunt. Praeterea Carmentae (Dion. Antiquit. Rom. I. c. 31.), Faunique et Fatuae

memineris. Ore vulgi carmina illa ferebantur, videnturque tam trita omnibusque adeo nota fuisse, ut forsan hanc ipsam ob causam Livius expressim de iis monere supersederit.

Cf. Schlegel l. l. pag. 838.

Eorum igitur reliquias Dionysius curiosissime conquisivit.

Cf. I. c. 79. p. 205. c. 31. p. 82. II. c. 34. p. 307. c. 70. p. 387. III. c. 32 p. 508. VI. c. 9. p. 1056. VII. c. 68. p. 1475. v. 7. sqq. VIII. c. 17. p. 1537. v. 2. sqq. c. 62. p. 1653. v. 11. sqq. (Niebuhr. I. 430.) c. 86. p. 1717. (Micali part. 1. cap. 25. pag. 117.)

„Παλαιὸς μὲν οὖν (Dionys. I. c. 73. p. 184.) οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψε.“

Cf. I. c. 74. p. 188. ibi Casaub. Niebuhr. I. 176, 367. Wachsmuth p. 7. sqq. 26. 147, not. 93.

Primis Romae temporibus (Cic. de orat. II. 12.) „erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio; cujus rei, memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur.“

Cf. Voss. Art. hist. cap. 2.

Itaque omnis rerum gestarum memoriae ad posteritatem transferendae cura solis patriciis demandata erat, qui pro lubitu aliarum famam suppressisse, alias annalibus inseruisse videntur.

Cf. Niebuhr. II. 54. sqq. 71, 72.

Paulo liberius scribere ausi eandem, quam Naevius, potentum iram experiebantur.

Multo tamen magis, quam intestina civium discordia, Romanae historiae exitio fuere Graecorum fabulae, quibus isti priscos Romanorum annales rhetorice et tragice exornaverunt.

Cf. Cic. Brut. c. 10, 11. Niebuhr. I. 180. 213—216. 240. 300, 301. (coll. Dion. Antiq. IV. c. 56.) 324. not. 86. II. 67, 68. Wachsmuth. p. 126. 180. Heyn. Excurs. IV, VII. ad Aeneid. libr. VII. Gottleber Obs. in quaedam loca Dionysii Halic. (Nov. Act. Eruditor. 1771.) p. 209.

Primi pedestri sermone historiam Romanam scripserunt, tempore belli Punici secundi, ita ut peculiari quodam jure historici Romani audiant, Fabius Pictor et Lucius Cincius, uterque summis in republica honoribus functi. Fabium Polybius a nimio Romanarum partium studio, ut nonnunquam iniquiorem in Carthaginienses vituperat.

Cf. J. A. Ernesti, Opuscull. philol. et crit. pag. 102. sqq. Utrum Graece, an Latine scripserint, dubitatur. Vossius (de historicis Latinis. Lib. I. c. 3, 4) utraque lingua idem ab iis opus tractatum videri dicit; Reiskius igitur (ad Dion. Antiq. I. c. 6. p. 18.) parum recte Dionysium vituperat, qui Graeco sermone eos usos esse affirmet. Cui Wachsmuth pag. 27. assentitur. Niebuhrius I. 190. 297. atque Schlegel l. l pag. 878. e contrario imprimis ex hoc Dionysii loco colligunt, Fabium Graece scripsisse. Cf. Micali Part. I. cap. 4. pag. 43. not. 1. Dionysius I, c. 6. p. 18 de utroque clarissimo rerum Romanarum autore ita judicat:

„τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε.“

Cf. VII. c. 70. p. 1483.

Accuratam temporum distinctionem a Fabio minus pensi habitam esse conqueritur.

Cf. IV. c. 6. p. 647. coll. IV. c. 30. p. 717. c. 64. p. 796. 797. Wachsmuth pag. 27.

Niebuhrius I. 191. 333. not. 99. Cincium multo cum ingenii acumine et judicio in Romanis antiquitatibus enucleandis versatum esse docet. Wachsmuth pag. 28. not. 6., quae Dionysius de Catone praedicat, memoriae lapsu in Cincium transfert.

Niebuhrius I. 146. not. 87. pariterque Wachsmuth pag. 23. sqq., spreta Plutarchi auctoritate, Fabium e Diocle Peparethio pleraque sua sumsisse negant. Schlegel l. l. pag. 878. et Micali l. l. pag. 42. in alia eunt omnia.

Jam reliquos quoque Romanos autores, quos Dionysius imprimis sequutus est, ejusdemque de iis judicium perlustremus.

Catonis Origenes teste Cornelio Nepote multa industria et diligentia, multa doctrina clarebant. Etiam Dionysius I. c. 11. p. 29. c. 74. p. 187. eum diligentissime et maxima cum cura in Romana historia excutienda versatum esse perhibet, eumque autorem saepissime sequitur.

Cf. Niebuhr. I. 21 — 23. 107. Wachsm. p. 27, 28.

Videtur Dionysius hanc praecipue ob causam Catonem magni fecisse, quod is Graecorum scripta non legerit ideoque, ut Ill. Heynii verbis utar, (Excurs. IV. ad libr. VII. Aeneid.) insanum illud Graecanicae doctrinae in patrias historias et religiones inferendae studium ab eo alienum fuisse videatur.

Paulo liberius scribere ausi eandem, quam Naevius, potentum iram experiebantur.

Multo tamen magis, quam intestina civium discordia, Romanae historiae exitio fuere Graecorum fabulae, quibus isti priscos Romanorum annales rhetorice et tragice exornaverunt.

Cf. Cic. Brut. c. 10, 11. Niebuhr. I. 180. 213—216. 240. 300, 301. (coll. Dion. Antiq. IV. c. 56.) 324. not. 86. II. 67, 68. Wachsmuth. p. 126. 180. Heyn. Excurs. IV. VII. ad Aeneid. libr. VII. Gottleber Obs. in quaedam loca Dionysii Halic. (Nov. Act. Eruditor. 1771.) p. 209.

Primi pedestri sermone historiam Romanam scripserunt, tempore belli Punici secundi, ita ut peculiari quodam jure historici Romani audiant, Fabius Pictor et Lucius Cincius, uterque summis in republica honoribus functi. Fabium Polybius a nimio Romanarum partium studio, ut nonnunquam iniquiorem in Carthaginienses vituperat.

Cf. J. A. Ernesti, Opuscull. philol. et crit. pag. 102. sqq. Utrum Graece, an Latine scripserint, dubitatur. Vossius (de historicis Latinis. Lib. I. c. 3, 4) utraque lingua idem ab iis opus tractatum videri dicit; Reiskius igitur (ad Dion. Antiq. I. c. 6. p. 18.) parum recte Dionysium vituperat, qui Graeco sermone eos usos esse affirmet. Cui Wachsmuth pag. 27. assentitur. Niebuhrius I. 190. 297. atque Schlegel l. l pag. 878. e contrario imprimis ex hoc Dionysii loco colligunt, Fabium Graece scripsisse. Cf. Micali Part. I. cap. 4. pag. 43. not. 1. Dionysius I. c. 6. p. 18 de utroque clarissimo rerum Romanarum autore ita judicat:

„τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε.“

Cf. VII. c. 70. p. 1483.

Accuratam temporum distinctionem a Fabio minus pensi habitam esse conqueritur.

Cf. IV. c. 6. p. 647. coll. IV. c. 30. p. 717. c. 64. p. 796. 797. Wachsmuth pag. 27.

Niebuhrius I. 191. 333. not. 99. Cincium multo cum ingenii acumine et judicio in Romanis antiquitatibus enucleandis versatum esse docet. Wachsmuth pag. 28. not. 6., quae Dionysius de Catone praedicat, memoriae lapsu in Cincium transfert.

Niebuhrius I. 146. not. 87. pariterque Wachsmuth pag. 23. sqq., spreta Plutarchi auctoritate, Fabium e Diocle Peparethio pleraque sua sumsisse negant. Schlegel l. l. pag. 878. et Micali l. l. pag. 42. in alia eunt omnia.

Jam reliquos quoque Romanos autores, quos Dionysius imprimis sequutus est, ejusdemque de iis judicium perlustremus.

Catonis Origenes teste Cornelio Nepote multa industria et diligentia, multa doctrina clarebant. Etiam Dionysius I. c. 11. p. 29. c. 74. p. 187. eum diligentissime et maxima cum cura in Romana historia excutienda versatum esse perhibet, eumque autorem saepissime sequitur.

Cf. Niebuhr. I. 21 — 23. 107. Wachsm. p. 27, 28.

Videtur Dionysius hanc praecipue ob causam Catonem magni fecisse, quod is Graecorum scripta non legerit ideoque, ut Ill. Heynii verbis utar, (Excurs. IV. ad libr. VII. Aeneid.) insanum illud Graecanicae doctrinae in patrias historias et religiones inferendae studium ab eo alienum fuisse videatur.

Cf. Niebuhr. I. 42, 43.

Wachsmuth pag. 27, 28. falli Dionysium contendit, qui (I. c. 79.) Catonem, Cincium, Pisonem pleraque sua ex Fabio sumsisse dicat. — At vero secundum meam quidem sententiam Dionysius l. l. minime hoc dixit.

L. Calpurnium Pisonem Frugi Dionysius saepissime sequutus est meritoque religiosissimis rerum Romanarum autoribus adnumeravit; I. c. 79. p. 201. IV. c. 7. p. 653. aliisque in locis.

Eundem Niebuhrius I. 161. not. 4. pag 242. ob nimium fabulas Romanas in historiae formam redigendi studium vituperavit.

C. Sempronius Asellio tempore Scipionis Aemiliani vixit resque imprimis eas, quibus ipse interfuerat, conscripsit. Ejus testimonio Dionysius I. c. 11. p. 29. in inquirenda Aboriginum origine utitur, eumque l. l. inter gravissimos rerum Romanarum autores ponit.

Cn. Gellii Dionysius haud semel honorificentissime meminit. Cf. e. c. II. c. 31. p. 301. c. 72. p. 389. c. 76. p. 403. IV. c. 6. p. 648. Eundem a chronologiae accuratioris neglectione vituperat. VI. c. 11. p. 1061. VIII. c. 1. p. 1313.

Q. Valerius Antias fidei suspectioris fuisse traditur, neque Dionysius eum autorem laudavit, nisi II. c. 13. p. 263. de origine nominis Celerum; qua in re ei, quod in Valerium conjicitur, omnia in immodicum augendi studio locus deerat. Tamen Dionysius, si Niebuhrio fides, etiam alias eundem autorem sequutus est.

Cf. II. c. 2. p. 238. c. 16. p. 269. coll. Nieb. I. 157, 158. C. Licinii Macri, qui paulo post Syllae obitum tribunus plebis fuisse traditur (Nieb. I. 333.), Dionysius saepe mentionem facit, ejusque auctoritati multum tribuit. In temporum distinctione eum negligentiorem fuisse inculpat. VI. c. 11. p. 1061. VIII. c. 1. p. 1312.

M. Terentii Varronis, Romanorum doctissimi illius, laudibus Dionysius totus adstipulatur. II. c. 21. p. 278. c. 47. p. 335. Cf. tamen Nieb. I. 118. 190. not. 45. Wachsm. p. 29.

Aelius Tubero teste Dionysio I. c. 80. init. fuit δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής.

Cf. Voss. de historic. Latin. lib. I. c. 18.

Sallustium quare Dionysius neglexerit, nescio.

Neque tamen vir prudentissimus, quae Graeci de rebus Romanis memoriae prodidissent, negligenda duxit. Praecipue ubi de origine gentis Romanae egit, saepissime Graecorum autorum testimoniis usus est.

L. c. 6. Dionysius de iis, qui res Romanas Graeco sermone composuerunt, egit. Primum Hieronymum Cardianum Romanas antiquitates attigisse dicit; deinde Timaeum (Niebuhr. I. 29.), Antigonum (Voss. de histor. Graec. IV. 7.), Polybium, Silenum; qui tamen nonnisi exiguam earum partem ac ne eam quidem satis diligenter et accurate tractaverint. De Polybio cf. I. c. 32. p. 83. c. 74. p. 188. Niebuhr. I. 146. Wachsmuth p. 30 — 32. Mitto caeteros Graecos scriptores, quorum scriptis Dionysius in concinnanda historia sua usus est. De Aristotele, cujus auctoritati multum tribuit, cf. Niebuhr. I. 19. sqq.

Wachsmuth p. 23 — 26.

Neque Noster in autorum testimoniis colligendis atque proponendis acquievit, sed caetera quoque vetustioris historiae monumenta conquisivit, eaque cum illis comparando scriptorum fidem ad trutinam revocavit. Non me fugit, monumentorum istorum fidem valde elevari a Schlegel. l. l. pag. 836. 883. (coll. tamen pag. 892.), quasi scilicet ea a serioris demum aetatis hominibus erecta atque composita ac fortasse ab ipsis Romanis post paucorum saeculorum intervallum pro vetustis habita ipsa historiam Romanam mendosiorem effecerint. — Urbe a Gallis incensa pleraque illa interiisse dicuntur. Livius lib. VI. init.

„Quae ab condita urbe Roma," inquit, „ad captam eandem urbem Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus decemvirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res quum vetustate nimia obscuras, veluti quae magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod et rara per eadem tempora literae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod, etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe pleraeque interiere."

Cf. Voss. Art. hist. cap. 6.

Multa etiam postea, Urbe creberrimis incendiis vexata, ipsoque Capitolio incenso, interiisse videntur.

Cf. Niebuhr. I. 308, 309. 333.

Nonnulla ad Dionysii aetatem usque duraverunt.

Cf. Niebuhr. II. 281. sqq. Wachsmuth pag. 1. sqq.

Ita statuam Naevii a Tarquinio Prisco erectam suo tempore adhuc extitisse testis Dionysius. III. c. 71.
neque minus Servii Tullii statuam in templo Fortunae virilis ab illo condito; IV. c. 40. p. 745.

uti etiam aeneam columnam a Servio Tullio in templo Dianae positam, legibusque exaratam foederis inter Latinos initi. IV. c. 26. p. 706. Cf. Wachsm. p. 165.

In templo Jovis Fidii se vidisse docet Dionysius IV. c. 58. p. 782. clypeum ligneum, corio bovino tectum, foederis a Tarquinio Superbo cum Gabiensibus icti conditiones inscriptas continente.

Cf. Wachsm. pag. 173.

In Cereris fano sua aetate adhuc superfuisse statuas aeneas inscriptas, ex bonis Spurii Cassii consecratas, idem VIII. c. 79. p. 1702. asseverat.

Ad belli primi Punici tempora pertinet statua L. Caecilii Metelli, quam in Capitolio ad suam aetatem usque extitisse Dionysius refert. II. c. 66. p. 377.

Neque Dionysius circa istiusmodi res nimis credulus fuit. Acre et subtile ejus judicium e. gr. ex III. c. 36. p. 519. elucet, ubi de legum tabulis, quas Ancus Marcius proposuerit, ita agit: „συγκαλέσας τοὺς ἱεροφάντας καὶ τὰς περὶ τῶν ἱερῶν συγγραφὰς, ἃς Πομπίλιος συνεστήσατο, παρ᾽ αὐτῶν λαβὼν, ἀνέγραψεν εἰς δέλτους, καὶ προὔθηκεν ἐν ἀγορᾷ πᾶσι τοῖς βουλομένοις σκοπεῖν, ἃς ἀφανισθῆναι συνέβη τῷ χρόνῳ· χάλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ᾽ ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν οἵ τε νόμοι καὶ αἱ περὶ τῶν ἱερῶν διαγραφαί· κ. τ. λ.“

Cf. Grimm ad h. l. Wachsmuth p. 368. not. 75. p. 369. not. 79. Niebuhr. I. 175.

Meminit Dionysius III. c. 1. p. 405. columnae a Romulo Tatioque in Hostilii tumulo cum inscriptione erectae. Eam ad Dionysii aetatem usque durasse haud crediderim. Meminit etiam Dionysius (III. c. 33. p. 509. IV. c. 48. p. 762.) columnarum, quas,

cum inscriptione, in memoriam foederis cum Romanis icti in templis suis collocaverint Sabini et Latini; foedera cum rigidis aequata Sabinis Horatius inter Romanae antiquitatis monumenta reponit.

Cf. etiam I. c. 16. p. 44. ult. c. 19. p. 50, 51. c. 21. p. 54. v. 11, 12. c. 32. p. 85. c. 34. p. 88. c. 39. p. 100. c. 40. c. 51. p. 128. v. 8, 9. p. 131. v. 6, 7. c. 53. p. 136. v. 2, 3. c. 55. p. 139, 140. c. 57. p. 144. c. 59. p. 152. c. 64. c. 71. p. 179. c. 87. p. 226. II. c. 34. p. 308. c. 42. p. 326. c. 50. p. 342. c. 54. p. 349. extr. c. 55. p. 353. extr. coll. Wachsm. p. 4. not. 21. III. c. 4. p. 413. c. 21. p. 469, 470. IV. c. 27. p. 710. c. 39. p. 740. c. 54. p. 772. v. intep. ibi Sylb. not. b. V. c. 35. c. 36. p. 927. c. 40. p. 937. VI. c. 13. p. 1068. c. 95. coll. Wachsm. p. 265. seqq. Micali part. 2. cap. 5. p. 72. Niebuhr. I. 370. VIII. c. 56. X. c. 32. coll. Niebuhr. II. 64, 65. Wachsm. p. 246. not. 75.

Supra (pag. 18.), Thucydidem a Dionysio vituperari vidimus, quod in procemio res nimis exiles neque relatu dignas memoraverit. Jam vero Dionysium ipsum bene vidisse, quemadmodum saepe ad maxima quaevis probanda tenues atque exiguae res sufficiant (factische Beweisart), eumque in historia sua concinnanda istas minime neglexisse, liquet.

Imprimis etiam rituum sacrorum accuratam notitiam Dionysius ad historiam illustrandam adhibuit, licet hac in re labi facile sit.

Cf. Niebuhr. I. 135. Schlegel l. l. pag. 874. extr. p. 882. Vide imprimis VII. c. 70. p. 1481—1483., qui locus, licet paulo

prolixior, totus apponendus videtur, cum ex eo unice eluceat viri singularis prudentia.

Πρῶτα καὶ κυριώτατα πάντων εἶναι πείθομαι τὰ γινόμενα καθ' ἑκάστην πόλιν περὶ θεῶν καὶ δαιμόνων πατρίους σεβασμούς. ταῦτα γὰρ ἐπὶ μήκιστον χρόνον διὰ φυλακῆς ἔχει Ἑλλάς τε καὶ βάρβαρος χώρα, καὶ οὐθὲν ἀξιοῖ καινοτομεῖν εἰς αὐτὰ, ὑπὸ δείματος κατεχομένη μηνιμάτων δαιμονίων. μάλιστα δὲ τοῦτο πεπόνθασιν οἱ βάρβαροι διὰ πολλὰς αἰτίας, ἃς οὐ καιρὸς ἐν τῷ παρόντι λέγειν, καὶ χρόνος οὐδεὶς μέχρι τοῦ παρόντος ἀπομαθεῖν ἢ παρανομῆσαί τι περὶ τοὺς ὀργιασμοὺς τῶν θεῶν ἔπεισεν, οὔτ' Αἰγυπτίους, οὔτε Λίβυας, οὔτε Κελτοὺς, οὔτε Σκύθας, οὔτ' Ἰνδοὺς, οὔτ' ἄλλο βάρβαρον ἔθνος οὐθὲν ἁπλῶς, εἰ μή τινες ὑφ' ἑτέρων ἐξουσίᾳ ποτὲ γενόμενοι τὰ τῶν κρατησάντων ἠναγκάσθησαν ἐπιτηδεύματα μεταλαβεῖν. τῇ δὲ Ῥωμαίων πόλει τοιαύτης οὐδέποτε πειραθῆναι συνέβη τύχης, ἀλλ' αὐτὴ τὰ δίκαια προστάττει διὰ παντὸς ἑτέροις. εἰ δὴ βάρβαρον αὐτῶν τὸ γένος ἦν, τοσούτου ἂν ἐδέησαν αὐτοὶ τὰ πάτρια ἱερὰ καὶ τοὺς ἐπιχωρίους ἐθισμοὺς ἀπομαθεῖν, δι' οὓς εἰς τοσαύτην προῆλθον εὐδαιμονίαν, ὥστε καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, ὧν ἦρχον, ἐν καλῷ κατέστησαν τοὺς θεοὺς τοῖς σφετέροις τιμᾶν νομίμοις· καὶ οὐθὲν ἂν ἐκώλυσεν ἅπαν ἐκβεβαρβαρῶσθαι τὸ Ἑλληνικὸν ὑπὸ Ῥωμαίων, ἑβδόμην ἤδη κρατούμενον ὑπ' αὐτῶν γενεὰν, εἴπερ ἦσαν βάρβαροι.

Ἑτέρους μὲν οὖν ἀποχρῆν ἂν ὑπέλαβε, καὶ αὐτὰ τὰ νῦν πραττόμενα ἐπὶ τῇ πόλει μηνύματα οὐ μικρὰ τῶν παλαιῶν ἐπιτηδευμάτων ὑπολαβεῖν· ἐγὼ δὲ, ἵνα μή τις ἀσθενῆ τὴν πίστιν εἶναι ταύτην ὑπολάβῃ, κατ' ἐκείνην τὴν ἀπίθανον ὑπόληψιν, ὅτι παντὸς τοῦ Ἑλληνικοῦ κρατήσαντες ἀσμένως ἂν τὰ κρείττω μετέμαθον ἔθη, τῶν ἐπιχωρίων ὑπεριδόντες, ἐξ ἐκείνου ποιήσομαι

του χρόνου τὴν τέκμαρσιν, ὅτε οὔπω τὴν τῆς Ἑλλάδος εἶχον ἡγεμονίαν, οὐδ' ἄλλην διαπρέπουσαν οὐδεμίαν ἀρχὴν κ. τ. λ.

Aeneam olim in Italiam venisse, nulla re apertius, quam iis, quae a Romanis Graecisque in sacrificiis festisque diebus fierent, declarari profitetur. I. c. 49. pag. 124. (Cf. Heyn. Excurs. I. ad Aeneid. libr. III. Excurs. II. ad libr. V. Excurs. IV. ad libr. VI.)

Sacra ab Evandro et Hercule instituta suo tempore adhuc apud Romanos usitata fuisse demonstrat. I. c. 32. c. 34. c. 38. p. 97. c. 39. p. 100. c. 40.

Etruscos a Lydis oriundos esse Dionysius ob discrepantem Deorum cultum negat. I. c. 30. p. 78.

Phalerium et Phascenium Graecae originis fuisse, ex simili Deorum cultu infert. I. c. 21. p. 54, 55.

Neque Dionysius de festi alicujus origine sibi imponi passus est. Ita Parilia utrum a Romulo demum instituta sint, an is dies jam ante illum solennis fuerit eamque ipsam ob causam Urbi condendae electus sit, ingenue in medio relinquit I. c. 88. p. 229.

Cf. Creuzer, Symbolik und Mythologie. (ed. II.) tom. 2. pag. 998.

Videtur Dionysius de sacris Romanorum caeremoniis peculiari libro egisse. I. c. 38 p. 97. Quem nobis eripuit invidia temporum.

Cf. etiam hanc in rem II c. 31. p. 302. c. 40. c. 52. p. 347.
IV. c. 49. p. 763.
VI. c. 13. p. 1068. VIII. c. 55. p. 1638, 39.

Multum etiam Dionysio profuit insignis, qua excelluit, artis etymologicae notitia.

Cf. I. c. 10. p. 28. coll. Schlegel l. l. pag. 870.

Bossi, Geschichte Italiens vor Erbauung der Stadt Rom. (übersetzt von Leidenfrost, Weimar, 1820.) p. 53, 54. 72.

c. 20. p. 52, 53.

c. 30. p. 79. coll. Wachsm. pag. 81.

Schlegel l. l. pag. 854.

Micali part. 1. c. 10. p. 106.

Lanzi part. 1. c. 2. p. 29.

c. 3. p. 42.

c. 31. p. 83. coll. Schlegel l. l. pag. 872.

c. 35. coll. Bossi l. l. pag. 3—5. 74. extr.

Creuzer, Symb. (ed. II.) t. 2. p. 999. sq.

c. 51. p. 128. extr. ibi Casaub. not. e.

c. 68. p. 171.

II. c. 9. p. 255. c. 13. c. 15. p. 267. c. 22. p. 281. c. 48. p. 337.

c. 49. p. 340. coll. Heyn. ad Virg. Aen. VII. 800.

Micali part. VII. c. 22. p. 76. not. 1.

c. 64. p. 371—373. c. 70. p. 386, 387. c. 73. p. 393, 395. c. 74. p. 396.

III. c. 50. p. 547. coll. Niebuhr. I. 316, 317.

IV. c. 1. p. 635. coll. Niebuhr. I. 244, 245.

c. 18. p. 682.

c. 76. p. 821. coll. V. c. 1. p. 844. coll. Niebuhr. I. 324.

V. c. 19. p. 891. coll. Nieb. I. 343, 344.

Wachsm. pag. 250. not. 84.

c. 47. p. 953. c. 73. p. 1021—1023.

VII. c. 2. p. 1346.

Idem quoties de vocabuli alicujus origine nihil certi invenisset, ingenue, sibi de ea non liquere, fatetur. Cf. III. c. 61. p. 568. extr. ibi Huds. not. 1.

Viri docti raro admodum in etymologiis a Dionysio comprobatis acquieverunt, saepius eum incusaverunt erroris. Qua de re ipsi Dionysii interpretes consulendi sunt.

Nonnullos e nobilissimis rerum Romanarum autoribus a Dionysio vituperari, quod temporum rationem neglexerint, innuimus. Etiam Livium saepissime in temporum ratione lapsum esse constat.

Cf. Niebuhr. I. 168. sqq.
Wachsm. pag. 115 — 122.
Voss. Art. hist. cap. 14.

Prudentissime igitur Dionysius isti potissimum ad certas leges exigendae operam dedit.

Cf. hac de re Dodwelli palmariam dissertationem, quae inscribitur: „Chronologia Graeco-Romana pro hypothesibus Dionysii Halicarnassei." (apud Reisk. tom. IV.)

Et Dionysius quidem, ut omnino Graecorum imprimis usui historiam accommodavit, etiam ad illorum epochas eam direxit: Trojam expugnatam, atque Olympiades. Eandem rationem ante eum sequutus erat Cato, nec absurde, utpote Romanos a Trojanis genus traxisse ratus.

In exquirendo conditae Urbis anno diu moratus est Dionysius I. c. 71—75.

Cf. Niebuhr. I. 142. sqq.

De tempore, quo Romulus, Rheae Silviae filius, Romam condiderit, Timaeum, L. Cincium, P. Catonem autores affert; Ti-

maeus simul cum Carthagine conditam esse prodit; L. Cincius quarto, duodecimae, Cato primo septimae Olympiadis anno. Catoni Dionysius suffragatur.

Cf. Wachsm. p. 123. sqq. 106. sqq.

Sallustius Romae originem ad Trojani belli tempora refert, Vellejus sibi ipse hac in re parum constat.

Cf. Niebuhr. I. 147, 148.

Neque inconsulto Dionysius ad Romanorum tempora cum temporibus Graecorum comparanda Romae a Gallis excisae epocham adhibuit. I. c. 74. Ab hoc enim tempore Romana historia plus certitudinis habet; ab eo igitur historicus ad antiquiora tempora aptissime regredi potest.

Cf. Nieb. I. 170. not. 10.

Dionysius certe, qui Graecis scripsit (Cf. IX. c. 1. p. 1739. v. 4, 5.), vetustiorem Romanae historiae epocham, de qua inter illos constaret, haud potuit eligere.

Graecorum quoque, aliorumque populorum chronologiam Dionysius penitus cognitam habuit.

II. c. 59. eos, qui Numam fuisse Pythagorae discipulum contenderent, egregie refellit; „οὐ γὰρ ὀλίγοις ἔτεσιν, ἀλλὰ τέσσαρσι γενεαῖς ὅλαις ὕστερος ἐγένετο Πυθαγόρας Νομᾶ, ὡς ἐκ τῶν κοινῶν παρειλήφαμεν ἱστοριῶν· κ. τ. ἑ.“

Cf. Niebuhr. I. 166. ejusdemque additament. ad h. l.

Schlegel l. I pag. 887.

Micali part. 1. c. 28. p. 198 — 200. part. 2. c. 8. p. 156. not. 1.

VII. c. 1. Dionysius eos refellit, qui, cum anno Urbis 264. Romanis fame laborantibus rex Syracusarum frumentum mise-

rit, οὐθὲν ἐξητακότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς, ὡς αὐτὸ τοὔργον δηλοῖ, ἀλλ' εἰκῇ τὸ προστυχὸν ἀποφαινόμενοι, fuisse illum Dionysium contenderent; ipse Gelonem eo tempore summam reipublicae Syracusanae tenuisse docet.

IV. c. 6, 7. Tarquinium Superbum fuisse Prisci nepotem, minime filium demonstrat. — Si L. et Aruns Tarquinii, ut communis fert opinio, Prisci filii fuissent, sororis filias duxissent; quod Romanis moribus prohibitum. Cf. Bach hist. jurispr. Rom. (ed. Stockmann.) p. 366. §. XX. ibi citt. — Dixerit quidem forte aliquis, fabulas illas non ad easdem leges adstringendas esse, quibus certior historia subjecta sit oportet, Luciique Tarquinii et Tulliae matrimonium mihi protulerit. Verum has ipsas nuptias ut incestas neque patrem, neque matrem Tulliae approbasse, Dionysius IV. [illegible] 30. p. 718. claris verbis edocet.

Cf. Wachsmuth p. 166. not. 36.

Niebuhr. I. 242, 243.

Scripsit etiam Dionysius atque edidit peculiarem de ratione temporum librum, ut ex I. c. 74. p. 188. constat. Cujus libri Clemens Alexandrinus haud semel meminit. (Casaub. ad Dion. l. l.)

Cf. I. c. 75. p. 192. v. 8—10.

Ex hisce jam satis apparet, quanta cum eruditione quantoque cum acumine Dionysius Romanam historiam tractaverit, et quam multum ejus fidei tribuendum sit.

Nunquam tamen conjecturis circa nimium obsoletas parvive momenti res tempus absumit; quo in genere hodie peccare solent.

Cf. I. c. 10, 11. p. 29. c. 13. p. 36, 37. c. 48. p. 120, 122. c. 56. p. 143. c. 61. p. 155. c. 63. p. 158. c. 73. p. 186, 187. c. 75. p. 192. c. 79. p. 200, 201. c. 87. p. 226, 227. c. 88. p. 229.

II. c. 12. p. 261. c. 13. p. 262, 263. c. 31. p. 303. c. 47. c. 56. c. 59. p. 362. c. 61. p. 366. c. 72. p. 389.

III. c. 35. p. 517.

V. c. 17. p. 885. v. 1. c. 18. p. 889. c. 74. p. 1026.

Quaeque praecipua viri laus est, in aliorum scriptorum sententiis examinandis rejiciendisque nunquam contemtim de iis locutus est. Suam quacunque de re sententiam semper fere ita protulit, ut aliam meliorem haud excluserit.

Cf. e. gr. I. c. 5. p. 16. init. c. 60. p. 153. v. 4.

II. c. 14. p. 265. v. 9. c. 16. p. 268. v. 10. c. 22. p. 280. c. 24. c. 59. p. 362. c. 70. p. 386. v. 5, 6. c. 71. p. 388. v. ult. c. 73. p. 395. init.

III. c. 18. p. 454. init.

IV. c. 56. p. 776. v. pen.

VII. c. 1. p. 1313. c. 65. p. 1469. v. 6—8.

Saepe etiam suam sententiam addito φασί vel alio talismodi vocabulo veluti ex alius persona protulit.

In investigandis eventuum causis nunquam temere hominum improbitatem tectosque dolos, sed alia potius omnia culpavit. Cf. e. c. III. c. 35. VIII. c. 60. extr.

Ut vero Dionysius Thucydidem praejudicata opinione captum ad historiam scribendam accessisse criminatur, ita idem hoc crimen in ipsum conjici solet; quod jam diluere studebi-

mus. Scilicet Romam ab eo perperam pro Graecorum colonia haberi dicunt.

Cf. Micali part. 1, cap. 2—4. cap. 12. p. 150. sqq.

Dionysius I. c. 60. „τὰ μὲν δὴ συνελθόντα ἔθνη," inquit, „καὶ κοινωσάμενα, ἐξ ὧν τὸ Ῥωμαίων γένος ὥρμηται, ταῦτά ἐστιν· Ἀβοριγῖνες μὲν πρῶτον, οἳ Σικελοὺς ἐξανέστησαν ἐκ τούτων τῶν χωρίων, Ἕλληνες ὄντες τὸ ἀρχαῖον ἐκ Πελοποννήσου, τῶν σὺν Οἰνώτρῳ μετενεγκαμένων τὴν οἴκησιν ἐκ τῆς καλουμένης νῦν Ἀρκαδίας, ὡς ἐγὼ πείθομαι· ἔπειθ' οἱ μεταστάντες ἐκ τῆς τότε μὲν Αἱμονίας, νῦν δὲ Θετταλίας καλουμένης, Πελασγοί· τρίτοι δὲ οἱ σὺν Εὐάνδρῳ παραγενηθέντες ἐς Ἰταλίαν, ἐκ Παλαντίου πόλεως· μετὰ δὲ τούτους τῶν σὺν Ἡρακλεῖ στρατευομένων Πελοποννησίων, Ἐπειοί τε καὶ Φενεᾶται, οἷς καὶ Τρωϊκόν τι ἐμέμικτο· τελευταῖοι δὲ οἱ διασωθέντες σὺν Αἰνείᾳ Τρῶες ἐξ Ἰλίου τε καὶ Δαρδάνου καὶ τῶν ἄλλων Τρωϊκῶν πόλεων."

Siculos, antiquissimos Latii incolas, indigenas fuisse Dionysius ait. II. c. 1. p. 234. Cf. Micali part. 1. cap. 6. p. 54. sqq. c. 12. p. 146. sqq.

Aborigines ex Arcadia duce Oenotro in haec loca delatos esse; neque multum post eos in eandem regionem venisse Pelasgos, I. c. 17. sqq.

Cf. Micali part. 1. cap. 7.

Siculosque e sedibus suis ejectos in Siciliam transmigrasse demonstrat. Deinde circa tempora belli Trojani Pelasgorum gentem agrorum sterilitate omniumque rerum penuria vexatam tantum non universam interiisse; jamque aliam Graecorum manum, Arcades, Evandro duce ad hunc locum advectam esse, I. c. 31 — 33. neque non Herculem cum magno popularium exercitu in eandem regionem venisse tradit. I. c. 34—44."

Quinquaginta annis post Herculem Aeneam ad Laurentum appulisse, I. c. 45. sqq., Trojanosque et ipsos Graecos fuisse docet. I. c. 61, 62. coll. I. c. 57.

Cf. Lanzi l. l. part. 1. cap. 2. p. 26. sqq.
part. 3. cap. 1. p. 9—17.

Quae cum ita essent, Romanis Graecum genus adscribi necesse erat. Neque non in universa historia Dionysius id egit, ut argumenta conquireret, quibus illam sententiam suam confirmaret.

IV. c. 26. p. 706. columnam, a Servio Tullio in memoriam foederis cum Latinis icti erectum, ejusmodi literis inscriptam esse dicit, quae ad veterum Graecarum literarum similitudinem accederent.

„ὃ καὶ αὐτὸ ποιήσαιτ' ἄν τις οὐ μικρὸν τεκμήριον τοῦ μὴ βαρβάρους εἶναι τοὺς οἰκίσαντας τὴν Ῥώμην. οὐ γὰρ ἂν Ἑλληνικοῖς ἐχρῶντο γράμμασιν ὄντες βάρβαροι."

Cf. Dirksen, Civilist. Abhdl. tom. 1. p. 5, 6.

Latinarum literarum eandem paene fuisse, quam veterum Graecarum, formam, etiam Plinius Histor. Natur. VII. 58. tradit.

Cf. etiam I. c. 90. init. ibi Interprr.
coll. Micali part. 1. c. 29. p. 219.
Lanzi l. l. part. 1. c. 1—3.

II. c. 54. p. 349. extr. III. c. 10. IV. c. 25. extr. c. 26. p. 704.
V. c. 8. p. 860. v. 1. VII. c. 70—73.

Neque Dionysius id neglexit, ut numquam Romanos barbaris in civitatem receptis Graecum sanguinem vitiasse demonstraret. Cf. e. c. II. c. 35. extr. c. 36. p. 342. extr. c. 50. p. 343. c. 53. p. 348. Ita Sabinos, ut supra monuimus, a Lacedaemoniis genus traxisse contendit (II. c. 49. p. 340.), ne Romani illis in civitatem receptis barbaros recepisse viderentur.

Niebuhrius I. 117. sqq. Siculos illos Graecos fuisse, Nostrumque turpi errore illos barbaros indigenasque vocare ac nihilominus eos cum Siculis Oenotriis confundere dicit. Wachsmuth pag. 75—78. eos a Celtis oriundos fuisse pronunciat.

Dionysius, quo Aborigines ex Arcadia fuisse oriundos evinceret, Catónis praecipue et C. Sempronii testimonio usus est. Quam argumentationem Niebuhrius I. 120. solidis argumentis impugnat.

Cf. Wachsmuth pag. 61. 99, 100.

Micali part. 1. cap. 1, 2. cap. 12. p. 146.

coll. cap. 17. init. cap. 19. pag. 215.

Quin Aborigines fuisse Umbros statuit.

Quae de Pelasgis apud Nostrum aliosque autores leguntur, quasi scilicet eorum auxilio Aborigines ad subigendos Siculos usi sint, caetera, Niebuhrius I. 66. ut fictitia et commentitia rejicit. Ullos unquam Pelasgos ex Graecia in Italiam transmigrasse negat. Aliter Wachsmuth p. 79. 91—99.

Neque aliter de Evandro Niebuhrius I. 124, 125. sentit; licet, quae de Evandro referuntur, inter antiquissimas nec aliunde advectas Romanorum fabulas reponenda sint. Wachsmuth pag. 102. sqq. Niebuhrio adstipulatur.

In iis, quae Dionysius de Herculis in Italiam adventu refert, eum turpiter lapsum esse Niebuhrius I. 122 — 124. contendit. Sancum, Sabinorum Deum, minime Herculem Italos antiquo fecultu veneratos; tabulam, qua Hercules in has terras venisse feratur, a serioris aetatis Graeculis inventam esse perhibet.

Cf. Wachsmuth pag. 104.

Bossi l. l. pag. 189.

De Aeneae Trojanorumque in Latium adventu antiquam fuisse apud Latinos famam, neque hanc potius fabulam, quam universam Romanorum fabularem historiam rejiciendam esse, Niebuhrius I. 125. luculenter demonstrat, Trojanos idem I. 144. sero demum pro Graecis habitos esse affirmat.

Wachsmuth p. 104 — 106. Niebuhrii sententiae adstipulatur.

Niebuhrius Caeritum coloniam fuisse Romam contendit, multaque hanc in rem satis acute argumentatur, in additament. ad I. 182. Sed adhuc sub judice lis est.

Cf. Wachsmuth p. 132. sqq. imprimis p. 133. not. 58. p. 146.
Micali part. 2. cap. 2, 3. pag. 24. sqq.

Quid? de ipsorum Caeritum et Etruscorum origine nequaquam inter omnes constat, multique eos et ipsos a Graecis genus traxisse contendunt.

Cf. Schlegel l. l. p. 843. sqq.

Cf. etiam Heyn. in Excurss. ad Aeneid.
Creuzer Symbolik. (ed. II.) tom. 2. cap. 9. p. 822. sqq.
Bossi l. l. cap. 3.

Ne vero solas Dionysii laudes scribere videamur, jam nonnulla attingamus, in quibus errasse videatur.

Supra indicavimus, Dionysium latinam linguam addidicisse, quoniam nullius populi historia scribi possit, nisi quis sermonem, quo illa utatur, calleat. Attamen haud semel in Latinorum vocabulorum interpretatione errasse videtur.

Romulum, e. c. II. c. 34. dicit, victis Crustomerinis, Caeninensibus, Antemnatibus, triumphantem quadrigis in Urbem in-

vectum esse; deceptus, ut Casaubonus ad l. l. annotavit, voce „ferculum," quam ἅρμα vel τέθριππον interpretatus est, cum fercula potius sint gestamina, quibus in triumphis spolia circumferantur. Livius de eodem triumpho ita egit (I. c. 10.):

> „Inde exercitu victore reducto ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor, spolia ducis hostium caesi suspensa fabricato ad id apte ferculo gerens in Capitolium ascendit."

Dionysii hunc errorem jam inter veteres Plutarchus expressis verbis notavit.

Cf. Casaub. ad h. l.

III. c. 71. p. 593. v. 2. Dionysius haud minus graviter lapsus esse videtur, puteal φρέαρ interpretando, cum sit potius operculum putei. Cf. tamen Huds. ad h. l. Grimm. (Synopsis Archaeologiae Romanae.) ad eund. (p. 462. not. d.)

Cf. etiam III. c. 44. p. 536. v. 1. ibi Casaub. coll. Grimm. ad h. l. (additament. ad p. 112. not. d.)

XI. c. 32. p. 2240. v. 7. ibi Huds. not. y.

Haud raro idem sibi ipse non satis constare videtur. Pertinent huc imprimis, quae Dionysius de clientelae instituto habet. Quippe II. c. 8. universum populum hoc instituto patriciorum tutelae commendatum esse dicit; VI. c. 63. IX. c. 41. X. c. 15. 40. 43. diserte clientes a plebejis distinguit.

Cf. II. c. 9. p. 254. v. 2. coll. c. 28. p. 296. v. 12. sqq. IX. c. 25. p. 1811.

Niebuhr. I. 380. sqq. atque imprimis additament. ad p. 382. not. 42.

Wachsmuth p. 186—191. 210. 229. not. 52.

I. c. 80. p. 209. init. Dionysius Faustulum a Romulo Remoque pro patre habitum esse tradit; c. 81. p. 211. v. 10. eadem de re aliter scribit.

Cf. etiam I. c. 82. p. 213. v. ult. ibi Reisk.
c. 84. p. 219. v. ult. ibi Sylb. not. q. et Reisk.

II. c. 8. init. eos, quos Romulus ob divitias virtutemque primo reipublicae ordini adscripserit, patres vocatos esse; c. 12. patrum nomine solos senatores insignitos esse contendit.

Cf. Grimm. ad utrumque locum. (p. 29. not. g. pag. 34. not. b.)

II. c. 17. init. Athenienses vituperantur, quod minime, ut Romani, cum quibuslibet civitatem communicaverint; nihilominus secundum III. c. 11. p. 436. extr. Romani illius instituti exemplum ab Atheniensibus petiere.

Horatios illos, neque non etiam Curiatios, trigeminos fuisse testis Dionysius; adeo vix unum eorum caeteris natu majorem vocari potuisse constat; tamen Dionysius III. c. 17. p. 451. natu maximos ex iis caeterorum nomine verba fecisse dicit.

Cf. III. c. 19. p. 457. v. 13.

Eosdem καθ' ἡλικίαν aciem instruxisse perhibet. III. c. 18. p. 456. ibi Reisk.

III. c. 21. p. 462. v. 15. Dionysius πέπλου ποικίλου meminit, quem unus e Curiatiis in pugna gestaverit; III. c. 18. p. 455. Horatios et Curiatios in amictu ferali, qualem homines morti destinati gestant, processisse dicit.

III. c. 62. p. 570. sceptrum consules retinuisse affirmat; tamen IV. c. 74. p. 817. Brutum in oratione super Lucretiae corpus habita hoc iis eximentem inducit.

Cf. Grimm. ad III. c. 62.

Niebuhr. I. 323. extr.

Gottleber. l. l. p. 218. 219.

IV. c. 6. p. 648. v. 14. Tarquinium Priscum ab Anco rege contra Latinos missum esse dicit; ex III. c. 40. p. 526. satis apparet, istos non Latinos fuisse, sed Sabinos.

IV. c. 15. Noster triginta tribuum meminit; contra VII. c. 64. nonnisi viginti unius fit mentio. Cf. Niebuhr. I. 254. sqq.

Cf. praeterea:

III. c. 70. p. 589. v. 5. ibi Hudson.

IV. c. 32. p. 722. v. 12. coll. c. 34. p. 728. v. 11. c. 40. p. 741. v. 1.

IV. c. 44. p. 752. coll. III. c. 68. Niebuhr. I. 242. 306. 307. Wachsm. p. 160. not. 23. p. 175 — 177.

V. c. 28. p. 907. v. ult. coll. c. 29. p. 909. v. 14.

V. c. 39. p. 931. not. g.

VI. c. 5. p. 1048. coll. c. 11. p. 1061. not. f. c. 12. p. 1064. not. t.

Etiam IV. c. 1. p. 634. v. 1., ut nunc se habet textus, autor sibi ipse non constat; quippe l. l. Lucium et Aruntem Tarquinios fuisse Prisci filios dicit, cum alias fuisse eos illius nepotes doceat. — Sed cum Casaubono non υἱοὺς, sed υἱωνοὺς legendum esse arbitror. Cf. IV. c. 4. p. 641. c. 6. p. 647. not. k. c. 64. p. 796. extr. p. 797. (coll. Niebuhr. I. 316.) c. 68. p. 804. init. (coll. Nieb. I. 242. 330. not. 94.) VI. c. 4. init. c. 11. p. 1060. extr. ibi Casaub. p. 1061.

VI. c. 12. p. 1063. Dionysius graviter erravit seu memoria lapsus est; quippe qui in pugna ad Regillum commissa M. Valerium, Poplicolae fratrem, cecidisse; VI. c. 39. eundem Dictato-

rem creatum esse contendit. Quin loco primum laudato P. Valerium, Poplicolae filium, occisum, VII. c. 1. p. 1309. eundem in Siciliam missum esse dicit.

Cf. VI. c. 41. p. 940. v. 8. ibi Huds. c. 64. p. 998. v. 2. ibi Sylb. VIII. c. 77. p. 1695. v. 7. ibi Huds. c. 87. p. 1723. v. 1. ibi Port. coll. Wachsm. p. 48. not. 60.

Niebuhr. I. 365. 411.

Alia etiam, quae nonnemini huc pertinere videantur, attingamus:

I. c. 47. p. 119. Chersonesum Thraciam Dionysius cum ea, in qua sita fuit Pallene Macedonica, confudit.

Cf. Huds. ad h. l. not. l.

II. c. 23. p. 282. v. 1. ibi Sylb. not. k. coll. Wachsm. p. 217.

III. c. 34. aliisque in locis lucum Ferentinae, ad quem Latini concilia habere solebant, cum Ferentino Hernicum confudit. Cf. Niebuhr. I. 210. Grimm. p. 155. not. y.

IV. c. 22. p. 691. Dionysius Servium Tullium omnes servos, qui libertate donati essent, in civitatem recepisse tradit. Quod tamen testibus autoribus probatissimis minime verum.

Cf. Niebuhr. I. 387—389.

V. c. 29. p. 911. coll. Niebuhr. I. 355.

V. c. 47. p. 954. v. antep. ibi Casaub. not. y.

Etiam V. c. 48. nescio an Dionysius in errorem inciderit, soli Valerio Poplicolae intra pomoerium sepulturae locum datum esse dicens. Cicero de legg. II. 23., Plutarch. in Ῥωμαϊκοῖς etiam aliis idem concessum esse perhibent.

Cf. Grimm. ad h. l. (pag. 197. not. i.)

V. c. 74. p. 1026. v. 1. ibi Casaub.

VI. c. 89. Dionysius tribunos ab initio comitiis curiatis creari solitos esse refert; Niebuhrius I. 425. comitiis centuriatis.

Wachsmuth pag. 286. sqq. Dionysio adstipulatur.

VI. c. 90. p. 1249. coll. IX. c. 43. extr. Niebuhr. I. 425. II. 37. Wachsm. p. 298. sqq.

VI. c. 95. ibi Grimm. (pag. 230. not. e.)

VI. c. 95. extr. coll. Wachsm. p. 47. not. 58.

VII. c. 1. p. 1309. ibi Casaub. not. n.

VII. c. 58. p. 1447. v. 7. ibi Casaub. not. m.

VIII. c. 55. p. 1639. v. 4. ibi Glarean. et Port. not. e.

VIII. c. 79. p. 1791. v. 4. ibi Hudson. not. m.

IX. c. 27. coll. Wachsm. p. 47. not. 58.

XI. c. 4. p. 2166. v. 13. ibi Reisk.

XI. c. 45. ibi Grimm. (p. 423. not. h.)

Niebuhr. I. 220. extr. 280. med. 315. med. 380. 449, 450. not. 16. II. 29. not. 34. (coll. pag. 34. not. 38.) pag. 34. not. 37. pag. 70. not. 72. pag. 98. 101. 122. 162. not. 64.

Wachsmuth pag. 48. not. 60. pag. 108. extr. pag. 139. pag. 145. not. 88. pag. 153. extr. 154. init. 158. sqq. 194, 195. 219. 259. 273. 327. 329. sqq.

Gottleber l. l. pag. 225—227. 286. 288.

Grimm. ad Dion. Antiq. IV. c. 62. (p. 166. not. *)

Nonnunquam etiam Dionysius tempora non satis discriminasse videtur.

Cf. III. c. 68. ibi Grimm. (p. 120. not. h. pag. 121. not. k.) coll. Niebuhr. I. 306. Grimm. ad IV. c. 44. (p. 153. not. l.)

Omnino haud raro in describendis ritibus antiquioribus ad posteriorem demum aetatem pertinentia anticipavit, quo pleniorem et accuratiorem eorum notitiam suis traderet.

Cf. Grimm. praef. pag. VI. coll. Indice Graecitatis s. v. τέλος
ad II. c. 12. (p. 34. not. b.)
III. c. 45. (p. 112. not. g.)
IV. c. 44. (p. 154. not. p.)
IV. c. 62. (p. 166. not. *)
VII. c. 17. (p. 239. not. *)
X. c. 39. (p. 396. not. h.) coll. Grimm. p. 340. not. n.

Wachsmuth. p. 136, 137. 150. 208. not. 84. p. 352. not. 47.
Gottleber l. l. pag. 217. 227—231.

Wachsmuth pag. 33, 34. nec Livium hujus vitii expertem esse demonstrat. Cf. Niebuhr. II. 17. sqq.

Jam autem ipsa fabularum, quas in historiae formam redigendas Dionysius susceperat, ea fuit ratio, ut nullo modo ab omnibus difficultatibus atque ineptiis liberari possent. Dionysius pro virili parte iis consuluit.

Niebuhrius I. 207. not. 64. ab eo (III. c. 1.), posthabita temporum ratione, Tullum regem Hostilii illius, qui sub Romulo vixit, filium vocari dicit. Contra Dionysius l. l. diserte Tullum regem Hostilii illius nepotem fuisse tradit.

Cf. Wachsm. pag. 145. not. 88.
Niebuhr. II. 33. not. 36.

Grimm. l. l. semper in id potius operam dedit, ut, quoties id fieri posset, Dionysium ab erroris suspicione defenderet.

Cf. Eund. ad II. c. 7. (p. 27. not. c.) coll. Wachsm. p. 193, 199.
II. c. 57. (p. 74. not. *) coll. Wachsm. p. 204.
VII. c. 47. (p. 256. not. r.)

VII. c. 59. (p. 276. not. m. pag. 277. not. q. coll. pag. 370. not. x.)
VII. c. 64. (p. 284. not. c. p. 285. not. d.)
IX. c. 51. (pag. 345. not. i.)
Wachsmuth pag. 247, 248.

Restat, ut Dionysium a communi temporis sui vitio, potentes adulandi studio, in quod multi alii probatissimi autores, atque inter Latinos ipse Vellejus aliique, inciderunt, immunem fuisse demonstremus.

Dionysius, ut Philisti ἦθος κολακικὸν καὶ φιλοτύραννον in Epist. ad Cn. Pomp. c. 5. p. 780. diserte notavit, ita se ipsum ab omni turpi assentatione semper alienissimum fuisse praedicavit. I. c. 6. p. 19. v. 9. Non sui, sed vetustissimi temporis scripsit historiam. Igitur eos, qui suo aevo Romae principatum occupaverant, fere eo tantum modo adulari potuit, ut aut eorum majores laudibus ad coelum ferret, aut vetustiora reipublicae tempora cum recentioribus comparando illis detraheret, horum felicitatem praedicaret. At longe alia Dionysii hac in re mens.

De inclyta Juliorum gente I. c. 70. p. 177. brevissime egit. „ἐγένετο δὲ," inquit, „μέγιστος ἅμα καὶ λαμπρότατος οἴκων οὗτος, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν· ἄνδρας δὲ διαφορωτάτους ἡγεμόνων ἤνεγκεν, οἷς τὸ συγγενὲς ἀεὶ ἀρεταὶ μὴ ἀπιστεῖσθαι παρέσχον."
Verissima illa. Ut enim alios mittam, unus Caesar nominis sui gloria caeteros Romanos facile omnes superavit. A quo nihilominus Dionysius VIII. c. 87. p. 1726. sub praetextu libertatis

defendendae rempublicam injuste oppressam esse satis aperte indicavit.

Appios Dionysius vehementer reprehendit, quod truci ingenio nimiaque superbia plebis jura calcaverint.

Niebuhrius. I. 326. Nostrum in eo aliquid principis voluntati dedisse existimat, quod Brutum, qui post pugnam Philippensem Romanae libertati supervivere noluit, a regum exactore illo genus duxisse negaverit. At Dionysius V. c. 18. suam hac de re opinionem sufficientibus argumentis confirmavit, quod nempe alter e Brutis patricius fuerit (IV. c. 71. p. 811. c. 81. p. 830.), alter, qui ad Philippos cecidit, plebejus; deinde, quod, testibus gravissimis rerum Romanarum autoribus, superior ille nullam ex se prolem reliquerit. Equidem potius Ciceronem (Brut. c. 14.), cum Brutum, Romanae libertatis autorem, Juniorum principem fecerit, hoc in viri tanto nobilitatis suae autore dignissimi gratiam dixisse puto. Quae etiam Glareani sententia.

Cf. Schlegel. l. l. pag. 890.
Wachsmuth. pag. 180.

Dionysius nunquam Pompejum vel Caesarem vel Brutum recentiorem illum nomine vocat, sed semper circumlocutione aliqua eos designat; ut scilicet ne illos adulari videatur, neque quemquam offendat.

Cf. Casaub. et Huds. ad VIII. c. 87. p. 1726. not. y.
VIII. c. 80.

Haec satis esse videntur ad illustrandam Dionysii integritatem sinceramque ejus omnique ab adulatione aversam mentem. Jamque, ut in judicio de ejus historiis ferendo eandem viam sequa-

mur, quam supra in enarrandis legibus historiae scribendae ab eodem latis tenuimus, ad eam disputationem venimus, quae est de delectu historico.

CAPUT II.

Disquiritur, utrum Dionysius in delectu historico instituendo iis, quas ipse tulit, legibus usquequaque satisfecerit necne.

§. 1.

Dionysius id praecipue in historia scribenda spectandum esse dicit, ut ea patriae laudes celebrentur amplificenturque, eaque lege ipse, scripta Romana historia, egregie stetisse videtur. Scilicet, Romanos Graeco sanguine ortos ad summum fortunae fastigium pervenisse, ea communis erat universae Graecorum gentis gloria.

Cf Wachsmuth. pag. 44—46.

Cumque idem historiam esse φιλοσοφίαν ἐκ παραδειγμάτων loco ex Thucydidis prooemio desumto docuerit (Art. Rhetor. c. 2. p. 398.), nullam potuisse eum eligere aliam materiam arbitror, in qua plura omnis virtutum generis exempla continerentur, neque ea peregrina, sed domestica atque Graeca ex urbe depromta.

Cf. Creuzer Hist. Kunst. p. 212. sqq. Voss. Art. hist. c. 5. „Τὴν μὲν οὖν ὑπόθεσιν," Dionysius I. c. 2., „ὅτι καλὴν εἴληφα καὶ μεγαλοπρεπῆ καὶ πολλοῖς ὠφέλιμον, οὐ μακρῶν οἶμαι δεήσειν λόγων, τοῖς γε δὴ μὴ παντάπασιν ἀπείρως ἔχουσι τῆς κοινῆς ἱστορίας. εἰ γάρ τις ἐπιστήσας τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὰς πα-

ραδεδομένας ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου πόλεών τε καὶ ἐθνῶν ἡγεμονίας, ἔπειτα χωρὶς ἑκάστην σκοπῶν, καὶ παρ' ἀλλήλας ἐξετάζων, διαγνῶναι βουληθείη, τίς αὐτῶν ἀρχήν τε μεγίστην ἐκτήσατο, καὶ πράξεις ἐπεδείξατο λαμπροτάτας, ἐν εἰρήνῃ τε καὶ κατὰ πολέμους, μακρῷ δή τινι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἁπάσας ὑπερβεβλημένην ὄψεται τὰς πρὸ αὐτῆς μνημονευομένας, οὐ μόνον κατὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς, καὶ κατὰ τὸ κάλλος τῶν πράξεων, ἃς οὔπω κεκόσμηκε λόγος οὐδεὶς ἀξίως, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ μῆκος τοῦ περιειληφότος αὐτὴν χρόνου μέχρι τῆς καθ' ἡμᾶς ἡλικίας."

Cf. I. c. 1. V. c. 56. p. 978. c. 75. p. 1027.

„ἔτι γὰρ ἀγνοεῖται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀλίγου δεῖν πᾶσιν," I. c. 4., „ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱστορία, καὶ δόξαι τινὲς οὐκ ἀληθεῖς, ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαι, τοὺς πολλοὺς ἐξηπατήκασιν, ὡς ἀνεστίους μέν τινας καὶ πλάνητας καὶ βαρβάρους καὶ οὐδὲ τούτους ἐλευθέρους οἰκιστὰς ἐχομένης· οὐ δι' εὐσέβειαν δὲ καὶ δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἐπὶ τὴν ἁπάντων ἡγεμονίαν σὺν χρόνῳ παρελθούσης, ἀλλὰ δι' αὐτοματισμόν τινα καὶ τύχην ἄδικον κ. τ. λ."

En virum prudentem suorumque civium saluti bene consulentem! Graeci, a Romanis ignominiosa servitute oppressi, fato adscribebant, quod ipsorum acciderat ignavia, seque divina lege llis in aeternam servitutem addictos esse gemebant; de jugo excutiendo ne cogitabant quidem.

Cf. Niebuhr. I. 10. sqq.

Primus Polybius, licet pro suo erga cives suos studio malam gratiam retulisset, impense egerat, ut virtute partum a Romanis orbis terrarum imperium virtute iis eripiendum, minime de republica desperandum esse doceret. Cujus exemplum Dionysius ut omnino in historia sua concinnanda sequutus est (cf. Creu-

zer l. l. pag. 322, 323. 256. sqq.), ita hac potissimum in re ejus vestigia pressit.

I. c. 9. p. 27. II. c. 17. p. 271.

Ubi bene tenendum est, eum, cum Romam et ipsam Graecam esse urbem demonstrasset, civibus suis, etiamsi Romanum jugum exuere non possent, certe illud tolerabilius reddidisse. Quippe non amplius a barbaris in servitutem sibi videbantur redacti, sed, ut prius Athenienses, Spartani, Thebani, Macedones summam Graeciae tenuerant, ita jam ad aliam e Graecis civitatibus Graeciae, quin orbis terrarum principatus devenisse videbatur. Romanos virtute Deorum favorem orbisque terrarum imperium consecutos esse, Dionysius singulis fere paginis pronunciat; e. gr. V. c. 62. p. 996.

Cf. I. c. 31. p. 82. III. c. 69. extr. IV. c. 62. init. V. c. 7. p. 857. c. 54. init. VI. c. 6. c. 21. p. 1087. v. 7, 8. VII. c. 12. p. 1340. VIII. c. 26. p. 1560. Niebuhr. I. 14. 155, 156. 252—254. 307. II. 94. Wachsmuth. pag. 318, 319. Micali part. 2. cap. 13. 17. Gottleber l. l. pag. 211, 212.

Suos admonet, ut ad priscam virtutem redeant certeque majoribus haud fiant indigni.

Dionysii igitur in Romana historia scribenda consilium exposuimus.

Jam vero etiam

„χαριστηρίους ἀμοιβὰς," ait I. c. 6., „ἃς ἐμοὶ δύναμις ἦν, ἀποδοῦναι (scil. volui) τῇ πόλει, παιδείας τε μεμνημένῳ καὶ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, ὅσων ἀπέλαυσα, διατρίβων ἐν αὐτῇ."

Quippe ex historia sua idem l. l. eventurum esse dicit

„τοῖς μὲν ἐκπεπληρωκόσι τὴν ἑαυτῶν μοῖραν ἀνδράσιν ἀγαθοῖς, δόξης αἰωνίου τυγχάνειν, καὶ πρὸς τῶν ἐπιγιγνομένων ἐπαινεῖσθαι, ἃ ποιεῖ τὴν θνητὴν φύσιν ὁμοιοῦσθαι τῇ θείᾳ, καὶ μὴ συναπο-

θνήσκειν αὐτοῖς τὰ ἔργα τοῖς σώμασι· τοῖς δὲ ἀπ' ἐκείνων τῶν ἰσοθέων ἀνδρῶν νῦν τε οὖσι καὶ ὕστερον ἐσομένοις, μὴ τὸν ἥδιστόν τε καὶ ῥᾷστον αἱρεῖσθαι τῶν βίων, ἀλλὰ τὸν εὐγενέστατον καὶ φιλοτιμότατον, ἐνθυμουμένοις, ὅτι τοὺς εἰληφότας καλὰς τὰς πρώτας ἐκ τοῦ γένους ἀφορμὰς μέγα ἐφ' ἑαυτοῖς προσήκει φρονεῖν καὶ μηδὲν ἀνάξιον ἐπιτηδεύειν τῶν προγόνων."

§. 2.

Jam videamus, quare Dionysius historiam arctissimis hisce finibus incluserit; quippe qui non ultra initium belli primi Punici progressus est. Cujus rei hasce causas reperio:

Primum ideo eum antiquitates Romanas potius, quam florentis reipublicae tempora descripsisse putaverim, quod recentioribus Romae temporibus non defuissent decora ingenia, resque in iis gestae a clarissimis scriptoribus, e. gr. Polybio, etiam Graecis proditae essent, contra teste ipso Dionysio (I. c. 6.) antiquiorem Romanam historiam nemo adhuc, nedum Graece, satis accurate tractasset.

„ὅτι δ' οὐκ ἄνευ λογισμοῦ καὶ προνοίας ἔμφρονος," ait Dionysius I. c. 4., „ἐπὶ τὰ πάλαι τῶν ἱστορουμένων περὶ αὐτῆς ἐτράπην, ἀλλ' ἔχων εὐλογίστους ἀποδοῦναι τῆς προαιρέσεως αἰτίας, ὀλίγα βούλομαι προειπεῖν, ἵνα μή τινες ἐπιτιμήσωσί μοι τῶν πρὸς ἅπαντα φιλαιτίων, οὐδὲν οὔπω τῶν μελλόντων δηλοῦσθαι προακηκοότες, ὅτι τῆς ἀοιδίμου γενομένης καθ' ἡμᾶς πόλεως ἀδόξους πάνυ καὶ ταπεινὰς τὰς πρώτας ἀφορμὰς λαβούσης καὶ οὐκ ἀξίας ἀναγραφῆς ἱστορικῆς, οὐ πολλαῖς δὲ γενεαῖς πρότερον εἰς ἐπιφάνειαν καὶ δόξαν ἀφιγμένης, ἐξ οὗ τάς τε Μακεδονικὰς

καθεῖλε δυναστείας καὶ τοὺς Φοινικοὺς κατώρθωσε πολέμους, ἐξόν μοι τῶν ἐνδόξων τινὰς λαβεῖν ὑποθέσεων, ἐπὶ τὴν οὐδὲν ἔχουσαν ἐπιφανὲς ἀρχαιολογίαν ἀπέκλινα. ἔτι γὰρ ἀγνοεῖται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀλίγου δεῖν πᾶσιν ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱστορία. κ. τ. λ."

οὐδεμία γὰρ ἀκριβὴς," I. c. 5. extr., „ἐξελήλυθε περὶ αὐτῶν Ἑλληνὶς ἱστορία μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, ὅτι μὴ κεφαλαιώδεις ἐπιτομαὶ πάνυ βραχεῖαι."

Deinde Dionysius rituum atque institutorum Romanorum expositionem, quam cum ipsa rerum gestarum enarratione conjunxit, in antiquiorem Romanam historiam aptius, quam in recentiorem, interponere poterat. Quae enim fuit Romanae reipublicae ratio, Romani fere nihil unquam novi in ea moliti sunt; omnium ejus institutorum legumque origo ex antiquitate Romana repetenda est. Quare etiam, ni egregie fallor, posteriorum historiae Dionysianae librorum jactura, quamquam luctuosissima, minus tamen dolenda est, quam si priores octo vel novem libri temporum injuria interiissent. In istis quippe regum, consulum, decemvirorum acta referuntur; omnium, quae postea in republica fuerunt, institutorum semina et origo.

Optime etiam Dionysius suam ipsius legem adimplevit, qua praecipit, ut historia ne prius incipiatur vel ulterius producatur, quam ipsius populi laudibus conferat. Prima reipublicae Romanae tempora, omnis virtutis exemplis redundantia, luculentissime demonstrant, quibus artibus res Romana, a tenui et exiguo initio profecta, eo creverit, ut mox ipsa magnitudine sua laboraverit. At quanto illustriora virtutum exempla in antiquiori Romana historia reperiuntur, tanto foedioribus vitiis posterior scatet. Quid? quod Dionysius, si istam scripsisset, necesse habuis-

set, de Graecia victa atque vastata, de Corintho Athenisque eversis agere!

Dionysius itaque universum opus suum, ut bonum civem decebat, ad suorum utilitatem direxit; adeoque eandem Romanae historiae partem, de qua Livius tribus libris exposuit, vix undecim libris complexus est. Scilicet pro instituti sui ratione multa referre necesse habuit, quae Livius silentio praetermisit; in exponendis aliis certe prolixiorem esse eum oportuit. Multa, quae nonnemini huc pertinere videantur, supra jam attigimus.

Cf. Gottleber l. l. pag. 210.

Grimm. ad Dion. Antiq. IV. c. 44. (p. 154. not. o.)

§. 3.

Primum Dionysius, quo cives suos ad Romanorum imitationem excitaret, de reipublicae forma, qualem Romulus instituerit, copiose egit. II. c. 7. sqq.

Nempe universam civium multitudinem a Romulo in tres tribus atque in triginta curias distinctam esse; singulis tribubus atque singulis curiis praefectos suos fuisse perhibet. Nobiliores ab obscurorum humilisque conditionis hominum turba secretos; alteros patricios, alteros plebejos vocatos esse refert; patriciis sacrorum magistratuumque administrationem jurisque dicendi curam mandatam esse, plebejis, ut pecus alerent, artes quaestuosas exercerent, permissum esse; utrumque ordinem clientelarum instituto ad mutuum amorem mutuaque officia conjunctum.

esse praedicat. Regem sibi centum viros, a curiis ex patriciorum ordine electos, assumsisse, quibuscum consilia de republica communicaret, trecentisque aliis eum corporis sui tutelam commisisse addit.

Recentiores Romanae reipublicae formam potius ex Etruscorum institutis legibusque repetendam esse censent. Dionysius, qui unius viri prudenti consilio constitui possit respublica, suis demonstrare voluit.

Cf. Interprr. Dionysii.

Wachsmuth. p. 183. sqq. 192. sqq. pag. 218. not. 14. De tribuum et curiarum origine consulendus est Niebuhr. I. 226. sqq. II. 35. coll. Wachsm. p. 195. sqq. p. 206. sqq.

De iis imprimis institutis, quae Romanorum propria, certe Graecis ignota erant, Dionysius accurate exposuit. Ita e. gr. III. c. 72. p. 390. de Fetialium instituto fuse egit:

„Οἴομαι δ' ἐπειδήπερ οὐκ ἔστιν ἐπιχώριον Ἕλλησι τὸ περὶ τοὺς εἰρηνοδίκας ἀρχεῖον, ἀναγκαῖον εἶναί μοι, πόσων καὶ πηλίκων ἐστὶ πραγμάτων κύριον, διελθεῖν."

Latina urbium, seu magistratuum, seu rituum apud Romanos obtinentium nomina nunquam Graecam in linguam transferre omisit.

Cf. e. c. I. c. 10. p. 28. v. 8. ibi Steph. not. g. c. 34. c. 66. p. 166. v. 8. sqq. c. 67. p. 169. v. 2. sqq. c. 70. p. 176. v. 6. sqq. II. c. 7. p. 250. v. 7. sqq. c. 8. p. 252. c. 12. p. 261. v. 5. c. 22. p. 281. v. 1. sqq. c. 25. p. 288. c. 31. p. 302. v. 9. sqq. c. 34. p. 308. v. 2. sqq. p. 309. v. 1. sqq. c. 48. p. 336.

v. 7. sqq. c. 50. p. 342. v. 4 — 7. c. 64. c. 70. c. 72. p. 389. v. 7. sqq. c. 73. c. 74. p. 396. v. 9. sqq. c. 75. p. 399.

III. c. 32. p. 505. v. 15. sqq. c. 44. p. 536. v. 1. sqq. c. 50. p. 547. v. 10, 11. c. 61. p. 568. v. 15, 16.

IV. c. 1. p. 635. v. 9. sqq. c. 14. p. 671, 672. c. 15. p. 674. v. 4, 5. p. 676. v. 1. sqq. c. 18. p. 682. v. 1. sqq. c. 39. p. 740. v. 15, 16. c. 41. p. 747. v. 5. sqq. c. 61. p. 787. extr. p. 788. v. 1. c. 67. p. 803. v. 10. sqq. c. 76. p. 821. v. 7. sqq.

V. c. 19. p. 891. v. 5. sqq. c. 73. p. 1021.

VI. c. 89. p. 1245. c. 90 p. 1248. v. 13. sqq.

VIII. c. 55. p. 1638. v. 10. sqq. c. 56. p. 1640. extr.

Quin etiam saepe, quo magis perspicua atque dilucida fieret suis narratio, Romana vocabula aut prorsus omisit, (e. c. II. c. 7. p. 250. coll. Wachsm. p. 192, 193. — II. c. 15. p. 267. ibi Grimm. p. 41. not. d. — Grimm. Ind. Graecitatis s. v. πλέθρον.), aut eorum vim περιφραστικῶς expressit.

II. c. 7. tribus interpretatur φυλὰς, curias φράτρας; quae vocabula ex Atheniensium republica desumsisse videtur. Neque tamen hunc loquendi usum constanter retinet, sed verbis modo dictis prope ut synonymis utitur.

Cf. II. c. 21. p. 278. v. 8, 9. c. 57. p. 358. v. 4. III. c. 71. init. ibi Huds. IV. c. 10. p. 662. ibi Reisk. VI. c. 89. init. VII. c. 59. p. 1450. ibi Port. et Grimm. (p. 274. not. f.) IX. c. 46. p. 1870. v. 11, 12. ibi Reisk. X. c. 4. p. 1991. ibi Sylb. not. n. XI. c. 17. p. 2196. v. 11.

Etiam III. c. 35. p. 517. v. 1. proprie non φυλῶν, sed φρατριῶν scribendum erat; neque parum recte II. c. 22. p. 281. v. 1.

Grimm. p. 46. not.*. verba ἐξ ἑκάστης φυλῆς pro ἐξ ἑκάστης φρά-τρας accipienda esse monet.

Cf. etiam Grimm. additament. ad p. 75. v. 12.

Dirksen, Civ. Abhdl. t. 1. p. 93. sqq.

II. c. 70. p. 385. v. 2. Quinquatrus. — Παναθήναια.

II. c. 72. p. 392. v. 2. sqq. Pater patratus. — εἷς ἐκ τῶν εἰρηνοδικῶν, ὃν οἱ λοιποὶ προχειρίσαιντο, κεκοσμημένος ἐσθῆτι καὶ φορήμασιν ἱεροῖς.

III. c. 2. p. 407. v. 16. Dionysius Metium Fuffetium dicit ab Albanis fuisse τῆς μεγίστης ἀρχῆς ἀξιωθέντα, i. e. δικτατωρίας. Cf. X. c. 16. p. 2027. v. ult.

III. c. 5. p. 416. v. 12. c. 7. p. 421. v. 13, 14. c. 34. p. 512. v. 14. Dictator. — στρατηγὸς αὐτοκράτωρ.

Cf. X. c. 22. p. 2046. v. 7.

III. c. 36. p. 520. v. 1. Παπιρίου τὴν ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχοντος, i. e. Pontificis maximi. Cf. IV. c. 22. p. 690. v. 13. II. c. 73. init.

IV. c. 22. p. 690. v. 5. c. 84. p. 840. v. 3. V. c. 12. p. 873. v. 5. c. 57. p. 980. v. 12. VI. c. 30. p. 1110. v. 12. c. 49. p. 1150. VIII. c. 87. p. 1724. v. 12. IX. c. 14. p. 1774. v. 7. c. 43. p. 1859. v. 2. circumlocutione campus Martius significatur, quem alibi Dionysius aperte τὸ πρὸ τῆς πόλεως Ἄρειον πεδίον vocat, ut VII. c. 59. p. 1449. v. 6. XI. c. 49. p. 2281. v. 7.

VI. c. 90. p. 1248. v. 14. ibi Port. not. q.

IX. c. 10. p. 1764. v. 1. sqq. ὁ τοῦ τάγματος τῇ λαμπροτάτῃ ἀρχῇ κεκοσμημένος, ᾗ τὰς ἑξήκοντα ἑκατονταρχίας ἕπεσθαι κελεύει νόμος — i. e. Primipilus.

„δήμαρχος" pro „tribunus," „ταμίας" pro „quaestor," „ὕπα-

τος“ pro „consul,“ talismodi alia usitata sunt neque Dionysii propria; qui tamen haud raro ab hoc loquendi usu discedit. Ita e. gr. VII. c. 38. p. 1395. v. 17. tribunos vocat τοὺς προεστηκότας τοῦ δήμου. Cf. IX. c. 41. p. 1854. v. 1. — Consules etiam συμβούλους, προβούλους vocat. IV. c. 76. p. 821. V. c. 1. p. 844. Niebuhr. I. 324. — Mitto alia.

IX. c. 40. p. 1852. v. 15, 16. Vestalis. — μία τῶν ἱεροποιῶν παρθένων τῶν φυλαττουσῶν τὸ ἀθάνατον πῦρ.

IX. c. 60. p. 1914. v. 15. Collis Quirinalis. — λόφος Ἐνυάλιος.

IX. c. 71. p. 1942. c. 36. p. 1843.

triumphus. — θρίαμβος ἱππικός.

ovatio. — θρίαμβος πεζικός.

coll. V. c. 47.

X. c. 37. p. 2088. v. 6. tribunus militum. — στρατοπεδάρχης τάγματος.

Saepe Romana vocabula ad Graecorum consuetudinem, etsi invita interdum Minerva, deflectere conatus est. Ita I. c. 87. II. c. 13. Celeres Κελερίους vocat; IV. c. 49. Jovem Latiarem Λατιάριον Δία interpretatur; IV. c. 13. Esquilias Ἰσκυλίαν.

Id semper tenuit Dionysius, ut, quotiescunque rei natura admitteret, Romana instituta cum Graecis comparando, illorum praestantiam suis demonstraret, eosque ad illorum excitaret imitationem. Grimm. pag. 31. not. p. eum nimium esse in Romanorum institutis cum Graecis comparandis, eamque esse maculam non levissimam utilissimi operis affirmat. At Dionysium non nobis, sed suis scripsisse meminerimus.

Ita II. c. 9. Romanorum clientes cum Thessalorum penestis et iis, qui apud Athenienses θῆτες vocabantur, comparat, clientelamque Romanam multo civiliorem et humaniorem esse

demonstrat, quam illa Graecorum instituta. Cf. Niebuhr. I. 390.

II. c. 16. Romanos collaudat, quod minime, ut Graeci, in urbibus bello captis puberes omnes trucidarent vel in servitutem redigerent.

II. c. 15, 17. id praecipue Romanis ad augendum imperium amplificandumque Urbis splendorem profuisse dicit, quod omnes homines (εἰ μόνον εἶεν ἐλεύθεροι), qui commodas sedes quaererent, lubenter in civitatem receperint; Lacedaemonios, Thebanos, Athenienses vehementer reprehendit, quod contrarium fecerint.

II. c. 18. sqq. exponit, quomodo Romulus Graecorum fabulas aeque inutiles, ac scelestas turpesque, ut Deorum natura indignas, rejecerit, atque in perpetuum sanxerit, ut in urbe Roma religiose cauteque curarentur res divinae.

Cf. Micali part. 1. cap. 22. pag. 49. not. 1.

Creuzer, Symbolik und Mythologie. (ed. II.) tom. 2. p. 992. sqq.

II. c. 21. Dionysius in turpem (Graecorum nempe) consuetudinem invehitur sorte sacerdotia dividendi vel eadem subhastandi; ab eaque Romanam civitatem semper alienissimam fuisse ostendit.

Cf. Creuzer. ibid. not. 221.

II. c. 24, 25. quanto leges nuptiales Romanorum iis, quae apud Graecos eadem de re constituta sint, praestent, satis probabiliter demonstrat.

II. c. 26, 27. leges a praecipuis Graecorum legislatoribus de liberorum erga parentes reverentia et obsequio latas recenset, multoque meliores esse Romanorum hac de re leges luculenter exponit.

II. c. 28. p. 297. laudatur Romulus, quod suos homines agriculturae eosdemque militiae assueverit; vituperantur Lacedaemonii, qui aliis agros colendos, aliis bella gerenda mandaverint.

V. c. 17. Noster consuetudinem, quae apud Romanos obtinuit, mortuos oratione funebri laudandi celebrat, eamque apud Graecos non esse receptam aegre fert.

Cf. Micali part. 1. cap. 23. p. 96. not. 1.

VII. c. 66. p. 1472. idem in diram civilium bellorum insaniam, quae Graecos a vetustissimis inde temporibus vexavit, invehitur, idque inter caetera omnia, quae in Romanorum republica admiratione digna sint, maximis laudibus celebrandum esse dicit, quod ad Gracchorum aetatem usque nunquam ad civile bellum progressi sint.

Cf. VI. c. 30. p. 1110. v. 10, 11. VII. c. 18. c. 26. extr.
Niebuhr. II. 44. sqq. 52. Wachsm. p. 315. sqq.

Neque tamen haec in eam partem accipi velim, quasi Dionysius iis, quae apud Graecos bona laudarique digna essent, unquam meritas laudes denegaverit. Minime ille. Qui e. gr. IV. c. 25. celeberrimum illud Amphictyonum institutum amplissimis laudibus prosequitur. V. c. 65. p. 1000. ex M. Valerii persona Solonis sapientiam effert.

Ad simplicem utriusque populi institutorum comparationem, addita nec laude, nec vituperatione alterutrius, idem saepissime deflectit.

Cf. I. c. 13. p. 36. extr.
II. c. 8. p. 252. c. 12. extr. sqq. c. 22. p. 280. ibi Interprr. c. 25. p. 288. c. 54. p. 350. ibi Interprr.

(coll. Niebuhr. I. 248. II. 72. extr. Micali part. 2. cap. 6. pag. 102.) c. 61. c. 65. p. 375. v. 13. sqq.
IV. c. 13. extr.
VI. c. 62. p. 1181. init. c. 90.

Loquacitatem Dionysii increpare solent.

Cf. e. c. Wachsmuth. pag. 385. sqq.

Neque negandum est, eum, ut Graecum, lectoris oblectamento, ex accurata atque in singulis haerente rerum gestarum expositione hauriendo, aliquid dedisse (XI. c. 1. cf. Creuzer, die hist. Kunst der Griechen. p. 219, 220.), neque unquam solas res gestas, sed, ut historicum decet, earum causas et praetextus quoque explicasse.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 15.

Haud raro tamen idem vel nimis videtur fuisse brevis.

Cf. Grimm. ad III. c. 22. (p. 104. not. e.) ad X. c. 50. (p. 401. not. a.) ad XI. c. 31. (p. 420. not. o.)

Nullas, nisi quae ad rerum ipsarum intellectum necessariae viderentur, historiae inseruit fabulas; quod tanto majori laude dignum, quanto saepius alii, e. gr. Diodorus Siculus, hoc in genere peccaverunt.

Ubi justo longior nonnemini videri possit, nunquam non causam indicat, quare accuratius de re exponendum fuerit. Ita „βούλομαι δὲ," inquit I. c. 45. extr., „καὶ περὶ τῆς Αἰνείου παρουσίας εἰς Ἰταλίαν, ἐπεὶ τῶν συγγραφέων τοῖς μὲν ἠγνόηται, τοῖς δὲ διεφθόνηται ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος, μὴ παρέργως διελθεῖν."

Cf. I. c. 53. p. 136. c. 61. init. c. 62. init.

De tempore, quo Urbs condita sit, nec non de ipsis Urbis conditoribus Dionysius I. c. 72 — 88. fuse agit. Magna enim erat inter autores circa ista discrepantia. Eos, qui accuratius de iis cognoscere vellent, ad peculiarem librum de iis compositum delegavit. I. c. 74.

De rebus a Romulo gestis Dionysius, ut supra monuimus, fusius disserere necesse habuit. Tamen ne hic quidem unquam brevitatis studium omisit.

Cf. II. c. 21. p. 278. v. 3. c. 24. init. c. 27. p. 296. c. 29. p. 299. c. 30. p. 299. v. 4.

Numae leges institutaque

„ἅπαντα μὲν," ait II. c. 63. init., „οὐκ ἀξιῶ γράφειν· τὸ μῆκος ὑφορώμενος τοῦ λόγου, καὶ ἅμα οὐδ' ἀναγκαίαν ὁρῶν τὴν γραφὴν αὐτῶν Ἑλληνικαῖς ἱστορίαις· αὐτὰ δὲ τὰ κυριώτατα καὶ φανερὰν δυνάμενα ποιῆσαι πᾶσαν τὴν προαίρεσιν τοῦ ἀνδρὸς, ἐπὶ κεφαλαίων ἐρῶ."

Cf. II. c. 73. extr. c. 74. init.

Quin imo magno jurisprudentiae damno nec leges quinquaginta illas a Servio Tullio latas enarravit.

Cf. IV. c. 13. p. 668. v. 8. c. 26. p. 706. extr.

Dionysius, ut supra indicavimus, inter praecipua historiae commoda reponit, quod rerum gestarum enarratio cujuscunque virtutis exemplorum copiam praebeat. Tamen nunquam longius in haecce evagando genio suo indulsit.

Voss. Art. hist. c. 18, 19.

Cf. II. c. 21. init. V. c. 77. p. 1035.

Nihilominus Reiskius ad I. c. 5. p. 16. v. 1. c. 23. p. 60. v. 7.

eum hisce in rebus narrationis seriei intermiscendis haud raro nimium esse queritur.

Superest, ut de prooemio historiae Dionysianae, de episodiis deque orationibus ei intermixtis agamus.

Thucydidem Noster vituperat, quod in prooemio multa commemoraverit superflua, alia contra eaque vel maxime necessaria omiserit.

„οἱ δὲ τὰς ῥητορικὰς συνταξάμενοι τέχνας παραγγέλλουσι δείγματα τῶν λόγων τὰ προοίμια ποιεῖν, αὐτὰ τὰ κεφάλαια τῶν μελλόντων δηλοῦσθαι προσλαμβάνοντας.“

Jud. de Thuc. hist. c. 19. p. 855.

Nihilominus ipse prooemio suo multa ad proponendum rerum enarrandarum conspectum minus pertinentia immiscuit.

„Τοὺς εἰωθότας ἀποδίδοσθαι τοῖς προοιμίοις τῶν ἱστοριῶν λόγους,“ inquit in libri I. initio, „ἥκιστα βουλόμενος ἀναγκάζομαι περὶ ἐμαυτοῦ προειπεῖν· οὔτε ἐν τοῖς ἰδίοις μέλλων πλεονάζειν ἐπαίνοις, οὓς ἐπαχθεῖς οἶδα φαινομένους τοῖς ἀκούουσιν, οὔτε διαβολὰς καθ' ἑτέρων ἐγνωκὼς ποιεῖσθαι συγγραφέων, ὥσπερ Ἀναξίλαος καὶ Θεόπομπος ἐν τοῖς προοιμίοις τῶν ἱστοριῶν ἐποίησαν· ἀλλὰ τοὺς ἐμαυτοῦ λογισμοὺς ἀποδεικνύμενος, οἷς ἐχρησάμην, ὅτε πρὸς αὐτὴν ὥρμησα τὴν πραγματείαν, καὶ περὶ τῶν ἀφορμῶν ἀποδιδοὺς λόγους, ἐξ ὧν τὴν ἐμπειρίαν ἔλαβον τῶν γραφησομένων.“

Cf. Voss. Art. hist. cap. 23.

Jam in prooemio demonstrat, se materiam elegisse pulchram, magnificam, utilissimam; deinde, se magna cum diligentia atque

industria subsidia ejus tractandae comparasse; denique de operis sui forma breviter lectorem admonet. (cap. 1—8.)

Prooemium hoc ab eo, quod Livius annalibns suis praemisit, omnino differt, licet uterque autor idem fere argumentum tractaverit, ita ut, quae fuerit inter utrumque differentia, neminem latere possit, qui eorum prooemia attente perlegerit.

Mirum est, Dionysium, qui Thucydidem vituperavit, quod is ad demonstrandam Peloponnesiaci belli magnitudinem et gravitatem antiquiorem Graeciae statum debilem et exiguum fuisse contenderit, haud absimili tamen ratione Romanae historiae splendorem ac dignitatem oculis exhibere. Romanorum res gestas omnium aliorum populorum ipsorumque Persarum et Macedonum rebus gestis praestare; imo „τὰς Ἑλληνικὰς," dicit, „δυνάμεις οὐκ ἄξιον αὐταῖς ἀντιπαρεξετάζειν, οὔτε μέγεθος ἀρχῆς, οὔτε χρόνον ἐπιφανείας τοσοῦτον, ὅσον ἐκεῖναι, λαβούσας."
I. c. 2, 3.

Episodiis Dionysius, eodem, quo Herodotus, modo, tum θείου illius vim ac potestatem celebrat, quo pertinent, quae de Aristodemo refert (VII. c. 3. sqq.), tum rerum varietate jucundam reddit narrationem. Ita III. c. 70. sq. jucundissimam atque dulcissimam de Atto Naevio narrationem exhibuit. Cf. V. c. 48. c. 75. X. c. 17.

In describenda hominis alicujus indole ea fere ejus ratio est, ut, Herodoti exemplo, brevi aliqua narratiuncula interposita nos mediam in rem rapiat. E. gr. X. c. 17. 24. quomodo Quintius Cincinnatus ab agro colendo ad summos in republica honores arcessitus sit, refert, eoque modo simplicitatem et probitatem viri, in quo tunc unica spes imperii populi Romani fuit, optime adumbrat.

„ταῦτα δ' οὐχ ἑτέρου τινὸς χάριν εἰπεῖν προήχθην, ἀλλ' ἵνα φανερὸν γένηται πᾶσιν, οἷοι τότε ἦσαν οἱ τῆς Ῥωμαίων πόλεως προεστῶτες, ὡς αὐτουργοὶ καὶ σώφρονες καὶ πενίαν δικαίαν οὐ βαρυνόμενοι καὶ βασιλικὰς οὐ διώκοντες ἐξουσίας, ἀλλὰ καὶ διδομένας ἀναινόμενοι."

X. c. 17. p. 2033.

Cf. Liv. III. c. 26.

Wachsmuth. p. 348. not. 43. p. 397. not. 17.

Prudenter tamen Dionysius in his quoque modum tenuit, nec, quo nomine Xenophontem haud immerito vituperant, hinc inde historiae immiscuit, quae in libellum potius, qualem Valerius Maximus composuit, quam in historiam Romanam caderent. Neque minimam hanc ex Thucydidis lectione utilitatem consecutus esse videtur, ut paucissimis verbis viri alicujus ingenium moresque describeret. E. gr. VIII. c. 60, 61. in proponenda Marcii Coriolani, magni viri, imagine Thucydidis exemplum egregie imitatus est.

Omnium digressionum arctissima apparet apud Dionysium cum universi operis argumento conjunctio. Omnino ea est antiquitatis Romanae ratio, ut, cum nihil fere indubitati certique in ea sit, qui paulo accuratius de ea agere velit, saepe interrupto narrationis filo episodia interponere necesse habeat.

Cf. Niebuhr. I. 192. II. 3.

Praeterea Dionysius etiam rituum atque institutorum Romanorum expositionem cum historia conjunxit, de illisque in episodiis agendum habuit.

Cf. e. gr. VII. c. 70. sqq. IV. c. 24.

Voss. Art. hist. c. 22.

Haec de episodiis Dionysianis sufficiant; ad orationes transeamus.

„Σχῆμα δὲ ἀποδίδωμι," inquit Dionysius I. c. 8. p. 23., „τῇ πραγματείᾳ, οὐθ' ὁποῖον οἱ τοὺς πολέμους ἀναγράψαντες ἀποδεδώκασι ταῖς ἱστορίαις, οὐθ' ὁποῖον οἱ τὰς πολιτείας αὐτὰς ἐφ' ἑαυτῶν διηγησάμενοι, οὔτε ταῖς χρονικαῖς παραπλήσιον, ἃς ἐξέδωκαν οἱ τὰς Ἀτθίδας πραγματευόμενοι· μονοειδεῖς γὰρ ἐκεῖναί τε καὶ ταχὺ προσιστάμεναι τοῖς ἀκούουσιν· ἀλλ' ἐξ ἁπάσης ἰδέας μικτὸν, ἐναγωνίου τε καὶ θεωρητικῆς, ἵνα καὶ τοῖς περὶ τοὺς πολιτικοὺς διατρίβουσι λόγους καὶ τοῖς περὶ τὴν φιλόσοφον ἐσπουδακόσι θεωρίαν, κἂν εἴ τισιν ἀοχλήτου δεήσει διαγωγῆς ἐν ἱστορικοῖς ἀναγνώσμασιν, ἀποχρώντως ἔχουσα φαίνηται." cf. XI. c. 1.

Orationes itaque Dionysius eorum gratia, qui civilibus negotiis vacarent, in historiam recepit.

Cf. Voss. Art. hist. cap. 20, 21.

Quo enim tempore Dionysius Romae fuit, libertas populi Romani nondum prorsus extincta erat; comitia et senatus ab oratoribus regebantur; historiarum igitur scriptori id praecipue spectandum erat, ut etiam, qui civili orationi incumberent, utilitatem aliquam ex opere suo capere possent. Adde, quod Dio-

nysius Romae artem oratoriam docuit, ideoque neminem magis, quam ipsum, in historia orationum bene elaboratarum atque forensi usui accomodatarum specimina proponere decuit.

Ipse VI. c. 83. se eas ex ἀρχαίαις ἱστορίαις desumsisse asseverat.

Cf. Niebuhr. I. p. 413. not. 68. pag. 406. 410. 452. II. 41. sqq. 126, 127. 395. not. 43.
Wachsmuth. pag. 249, 250. 321.

Eum non verbum de verbo expressisse, vel inde apparet, quod Graeco sermone atque Graecis scripsit indeque necesse habuit, Graecorum sensui orationes accomodare. Vetustiores Romanos aspera et jejuna oratione usos esse constat, ita ut Quintilianus etiam Gracchorum et Catonis lectione durescere pueros contendat.

Cf. X. c. 31. p 2072. v. 5.

Quid igitur? si Dionysius orationes primis Romae temporibus habitas ad verbum in libros suos transtulisset, quis illam cogitationum simplicitatem, quis austeritatem, quis, inquam, verborum jejunitatem tulisset? Graeci homines eas ne perlegere quidem potuissent.

Cf. Niebuhr. I. 422.
Wachsmuth. pag. 46.

At annales, e quibus Dionysius historiam suam concinnavit, ipsi magna ex parte ab hominibus Graecarum literarum gnaris compositi erant; Dionysio fortasse nihil reliquum erat, nisi ut orationes, quales in illis legerentur, jam ad Graecarum literarum elegantiam accomodatas libris suis insereret.

Multa, quae nobis in Dionysii orationibus tantum non absurda videntur,

cf. Gottleber l. l. pag. 219. 282. sqq.

Grimm. ad X. c. 51. (pag. 402. not. f.)

eo pertinent, quod ille Romam pro Graecorum colonia habuit, Romanisque de Graecorum historia moribusque ab initio Urbis constitisse arbitratus est, adeoque et ipse haud raro Romanos in constituenda republica Graecorum instituta imitatos esse dixit, e. c. II. c. 13. c. 18. c. 65. p. 375. V. c. 73, 74. (cf. Micali part. 1. c. 23. p. 82.), et saepe alios eundem in modum loquentes induxit. Cf. II. c. 3. p. 242. c. 30. III. c. 11. IV. c. 72. p. 814. c. 73, 74. V. c. 67. p. 1007. v. 3. sqq. VI. c. 62. p. 1181. v. 1. sqq. c. 80.

Ita etiam Dionysius II. c. 4. p. 244. primos Romae incolas in oratione ad Romulum de constituenda republica habita ἐλευθερίαν τε καὶ ἄλλων ἀρχὴν se ab eo accepisse gloriantes inducit.

Jam Dionysianarum atque Thucydidearum orationum diversus est character; uterque scriptor suam suorumque hominum indolem suique instituti rationem in iis elaborandis sequutus est; Thucydides densus sententiis, grandis verbis; Dionysius planus atque facilis intellectu; quamquam et ipsius oratio haud raro intricatae structurae sensusque non facile assequendi. Thucydidis orationes sunt non ἀγωνίσματα εἰς τὸ παρὸν, sed κτήματα εἰς τὸ ἀεὶ; Dionysius, qua de re ne cogitavit quidem Thucydides, id potissimum egit, ut institutionem oratoriam exemplis comprehensam in orationibus hisce proponeret. Continent

eae omnis sapientiae civilisque prudentiae penum, utque Noster omnino philosophicas observationes in historiam interponere solitus est, vel hanc praecipue ob causam orationes lubenter in libros suos videtur recepisse.

E re esse videtur, de nonnullis Dionysii orationibus singulatim monere.

Primum illae, quas ut a Bruto super Lucretiae corpus habitas Dionysius enarrat, minime ad nostrum sensum quadrant. Nos Livium multo melius et verius rem paucis absolvisse arbitramur.

Cf. Dirksen, Civ. Abhdl. t. 1. p. 101.

At, ni egregie fallor, Livius pulchrius, Dionysius verius de ea exposuit.

Cf. Niebuhr. I. 319.
Wachsmuth. pag. 179, 180.
Gottleber l. l. pag. 291. sqq.

Fuit patriciorum conventus, in quo Brutus, ut ne quis in posterum Romae regnaret, oratione habita patriciis persuasit; neque convenit, tantam rem paucissimis verbis absolutam esse.

Quam egregie Dionysius in universa historia sua omnibusque in orationibus ei insertis singularum familiarum proprietatem distinxerit, neminem fugiet, qui e. c. ad Appiorum et Valeriorum orationes ab illo relatas animum paulo diligentius attenderit. Neque necessarium, neque nobis propositum est, altius hanc in rem descendere.

Cf. Niebuhr. I. 406. II. 42—44.

Appium Claudium in populi judicium a tribunis vocatum neque inimicorum minis, neque amicorum precibus perpelli po-

tuisse, ut causam diceret, plebisque iram aliquo modo leniret, Dionysius refert. IX. c. 54.

„οὐδὲν ἔφη ποιήσειν ὁ ἀνὴρ οὔτ' ἀγεννὲς οὔτε τῶν προγεγονότων ἔργων ἀνάξιον, μυρίους δ' ἂν ὑπομεῖναι θανάτους πρότερον, ἢ γονάτων ἅψασθαί τινα."

Eum voluntaria morte exilium antevertisse addit.

Ita Romilium, virum Consularem, apud populum accusatum, minime tempori cessisse, sed accusatorio spiritu causam dixisse perhibet. X. c. 49. p. 2123.

Vides, Dionysium hac in re suam ipsius legem migrasse. Cf. quae supra de Periclis illa oratione apud Thucydidem obvia, deque judicio, quod Dionysius de ea tulit, memoravimus.

Dulcissima est Coriolani in exilium proficiscentis oratio ad matrem uxoremque acerbo fato moestissimas. VIII. c. 41. Quam Dionysius, quo magis ea ad lectorum animos permovendos valeret, non ex sua, sed ex Veturiae matris persona protulit.

Cf. tamen Wachsmuth. p. 312. not. 95.

Videtur Dionysius, ut monuimus, eo etiam nomine Thucydidem vituperare, quod haud raro rectam orationem cum obliqua alternet. Quod tamen et ipsi Dionysio saepe placuit; e. c. II. c. 3. p. 242. extr. VI. c. 87. p. 1242. v. 1. ibi Reisk. XI. c. 55. p. 2291. v. ult. ibi Sylb. not. b.